Jahresbericht

über das

Königliche Gymnasium,

die Realschule 1. Ordnung und die Vorschule

zu Duisburg,

womit

zu der öffentlichen Prüfung und zu der Schlussfeier am 28. 29. und 30. August 1862

die verehrl. Behörden, die Eltern der Schüler und alle Freunde der Anstalt

ehrerbietigst einladet

der Director

Dr. Karl Eichhoff,

R. d. r. A. O. 4. Kl.

Nebst einer Abhandlung des Oberlehrers Dr. *Liesegang*:

„De XXIV Iliadis rhapsodia dissertatio. Pars prior“.

Duisburg,

Buchdruckerei von Joh. Ewich

1862.

De XXIV Iliadis rhapsodia dissertatio.

Pars prior.

Carolus Lachmannus, vir doctissimus artisque criticae peritissimus, quum carmina nostra vetustiora summa industria atque diligentia perscrutatus antiquissimae poesis naturam et conditionem penitus perspexisse sibi videretur, qua ibi via et ratione erat usus, eandem in homericorum carminum origine indaganda adhibere non dubitavit. Posteaquam enim cognovit omnia omnium populorum carmina antiquissima litteris non perscripta non maiora fuisse ab initio quasi corpora sed ex minoribus paulatim singulorum vatum carminibus esse orta atque conflata, multa ab iis qui postea fuerunt poëtis esse adiecta mutata corrupta, Iliadis quoque carmina genuina (ea sedecim fuisse statuit) summa ingenii qua praeditus erat sagacitate et subtilitate eruere atque investigare conatus est. *) Qua sententia a Lachmanno proposita fieri non poterat, quin hominum doctorum, qui in eiusmodi quaestionibus tractandis versabantur, animi gravissime commoverentur. Utque ab alteris, quibus nihil praeclarius, nihil ingeniosius, nihil verius excogitatum esse videbatur, cupidissime ea sententia arrepta et defensa est, ita ab alteris, qui se ab opinionibus suis falsis quidem, at quas, ut fere fit, ipsa temporis diuturnitate adamaverant, deduci atque abripi moleste ferrent, vehementissime improbata est atque impugnata. Neque mirum. Nam quum difficile sit de qualibet re multos homines ad unam eandemque, quamvis vera sit, opinionem perducere, tum hominibus doctis novam quandam sententiam probare omnibus nescio an sit maxime arduum atque difficillimum, praesertim quum de eiusmodi agitur rebus, quae probabili quidem argumentatione, non necessaria mathematicorum ratione possint concludi. Verum licet Lachmannus non omnia, quae statuit, extra omnem posuerit dubitationem, licet in singulis quibusdam rebus haud raro erraverit (in eiusmodi enim quaestionibus verum atque rectum comprobare atque stabilire non est unius hominis, coniunctis demum multorum viribus atque laboribus explorabitur, quum primus ille certaminis pugnaeque ardor deferbuit) tamen de tota re eum recte iudicasse postque Fridericum Augustum Wolfium, virum immortalis memoriae, qui primus quaestiones illas homericas, quibus tot ex eo tempore hominum doctorum ingenia et exercita sunt et hodie exercentur, proposuit et constituit, unum omnium carminum homericorum originem maxime illustrasse quum mihi sit persuasissimum, tum spero et confido carminibus illis

---

*) Betrachtungen über Homers Ilias von Karl Lachmann. Mit Zusätzen von Moritz Haupt. Berlin 1847.

iterum iterumque perlectis quaestionibusque illis in dies subtilius accuratiusque perpensis fore ut sententia a Lachmanno proposita magis magisque stabiliatur atque confirmetur. Qua in re nihil interesse puto, num singula carmina ipsa iam recte repererit omnia, nil interest, mihi crede, utrum sedecim carmina genuina Iliadis constituantur an plura, in quibusdam rebus vel ii, qui Lachmanni sententiam maximopere probant et acerrime defendunt, dubitabunt ipsumque errasse concedent, at in tot rebus singulorum carminum auctores alios cum aliis discrepare, in tot rebus complurium vatum apparere vestigia demonstravit, tot deprehendit repugnantias quas vocant, ut Iliadem, qualem quidem nunc habemus, neque unius poëtae neque unius aetatis esse opus, sed a pluribus poëtis neque una aetate esse confectam luce clarius esse videatur.

Fuerunt quidem qui contenderent et quererentur (id quod iam Fr. A. Wolfio crimini erat datum) iam sacrum illud Homeri quasi corpus dilaniari atque discerpi, iam carmen illud praeclarissimum, quo per tot saecula summa vel legentium vel audientium excitata esset admiratio, quod tot homines et ipsi ingenio praediti ut absolutum et perfectum poesis epicae exemplar summis laudibus tulissent, elevari et extenuari, iam arte ista critica puram illam atque sinceram admirationem, qua et Graeci omnes et tot aliarum gentium homines divinum illum poëtam celebrassent, exstinctam deletamque, nullum fere esse versum, in quo non critici isti nimio nimirum atque molesto vituperandi studio ducti sive hoc sive illo vocabulo offenderentur, praeterea criticos istos haud raro alios aliis repugnare neque inter eos convenire, quid de magnis illis difficultatibus, quas in carminibus non invenissent, sed ipsi ultro invexissent, esset statuendum. At si sententiam illorum criticorum veram esse atque rectam erit demonstratum, nonne veritas, quamvis sit molesta et odiosa, agnoscenda est atque comprobanda? Quid? quod ii ipsi qui eiusmodi criminationes in adversarios conferunt, et ipsi multis locis interpolationes, quas vulgo vocant, constituunt? quod vel ii qui uni Iliadem Odysseamque deberi poëtae contendunt, multos delent versus neque in Alexandrinorum iudicio atque auctoritate acquiescunt? Carolus vero Lachmannus tantum abfuit, ut a se lumina carminis illius pulcherrimi obscurata atque exstincta esse putaret, ut contra multo clariores virtutes in singulis illis carminibus inesse putaret; tantum abfuit ut principes illos poetas minoribus, quam quibus ante celebrati erant, laudibus dignos esse arbitraretur, ut praeclarissimo illi carmini naevis illis, quibus temporis diuturnitate, ut fieri solet, erat adspersum, abstersis formaque antiquissima et splendidissima restituta, pristinum splendorem reddidisse sibi videretur. *)

Neque tamen mihi in animo est quae Carolus Lachmannus, cuius scholis suavissimis atque utilissimis me quoque interfuisse libenter prae me fero eiusque memoriam semper pio gratoque animo colam, quae ille de Iliade disputavit, ea denuo examinare omnia, examinata aut refellere aut

---

*) P. 86. cf. Köchly Hectors Lösung. Gratulationsschrift der Universität Zürich zum Jubilaeum von Welcker. Zürich 1859. Quae commentatio quum non cuique ad manum sit, liceat mihi eius verba h. l. proponere p. 4: Je mehr ich alle Versuche der Einheitskritiker studire, desto klarer tritt mir der Satz als unbestreitbares Axiom entgegen: Ilias wie Odyssee als Ganzes haben nicht die organische Einheit, das Werk eines poetischen Genies, sondern nur eine mechanische Vereinigung, die Arbeit eines redactionellen Talents. Jene ist entweder nirgends oder nur in den einzelnen Liedern oder Gedichten zu finden, aus welchen das Ganze zusammengesetzt oder zusammengeschmolzen ist. Gelingt es nun nicht diese herauszuheben und herzustellen, so muss man überhaupt darauf verzichten in der homer. Poesie einheitliche abgeschlossene Kunstwerke zu entdecken und aufzuzeigen, man muss sich mit der Bewunderung einzelner Stücke oder Bruchtheile begnügen; der Standpunkt, welchen allerdings Jahrhunderte lang das griechische Volk selbst in seiner naiven Praxis eingenommen, wenn auch nicht in einer „nationalen Theorie" begründet hat. Dieser Standpunkt aber eben ist es, der mir nicht genügt. Ich glaube in den einzelnen Liedern, welche die Kritik seit Lachmann mit steigendem Erfolge aufzudecken und wiederherzustellen sucht, wirklich einheitliche Kunstwerke von verschiedenem individuellen Charakter und verschiedenem poetischen Werthe erkennen zu müssen.

comprobare; id neque mei ingenii est, quod quam sit exiguum nemo me melius scit, neque temporis muneri scholastico debiti concedant angustiae. Unam mihi liceat quaestionum homericarum expromere particulam, de qua hac scribendi vel opportunitate ut aiunt vel necessitate oblata disputem.

Atque constat posteriores qui vates illos priscos secuti sunt poëtas sive rhapsodos quum aliis locis tum in exitu et Iliadis et Odysseae multa adiecisse. Quod quum de Odyssea minime dubium esse videatur, (neminem enim puto hodie exstiturum, qui postremae rhapsodiae Odysseae, quae iam ab clarissimis illis criticis Alexandrinis Aristophane atque Aristarcho ab Homero abiudicata est, suscipiat patrocinium) non alienum mihi est visum postrema Iliadis rhapsodia, in qua iam veteres illi Alexandrini multis rebus sunt offensi, accuratius perquisita exponere, quibus in rebus a ceteris Iliadis rhapsodiis abhorrere existimanda sit.

Atque de Aristarcho quidem vereor, ne C. Lachmannus severius ut interdum solebat iudicaverit, quum dicat id exspectandum fuisse, ut Aristarchus postremam Iliadis rhapsodiam et XXIII inde a versu 824 quinque certaminibus, tot enim fuisse promissa, peractis reiiceret. *) Videtur enim rem quandam, in qua satis magnum est momentum iusto minoris aestimasse. Nam Aristarchus, quum esset homo Graecus, summa reverentia divini illius poetae imbutus atque mira illa sermonis suavitate et dulcedine delenitus non facile ab animo impetrare potuit, ut quam rhapsodiam aliquot athetesibus in integrum posse restitui arbitraretur, eam reiiceret totam. Quid? quod nostris temporibus homines haud indocti ab Aristarchi partibus stant eiusque sententiam contra Lachmannum defendunt? quod Arminius Köchly, vir doctissimus, quem in via a Lachmanno munita progredientem conspiciebamus, nuper rhapsodiam XXIV, in qua numerosos istos vel terniones vel quaterniones versuum invenisse sibi videtur, tuendam suscepit? Verum rectissime animadvertit Lachmannus causam, qua causa motus posterior aliquis poëta hanc rhapsodiam adiecisse existimandus sit, esse repetendam ex X 412—428 **), quo loco Hectore modo occiso Priamus senex vehementissimo dolore afflictus atque perturbatus vixque mentis compos ab iis qui circumstant poscit, ut sinant ipsum ad naves Achivorum se conferre imploratum Achillem illum crudelissimum, si forte sui misericordia Peleique, qui et ipse senex esset, memoria motus Hectoris corpus reddat. En brevissimum rhapsodiae XXIV. argumentum atque ita quidem, ut omnes fere sententiae, quae his paucis verbis continentur, amplificatae et auctae et ornatae esse videantur. Neque enim vereor, ne quis contendat rem esse contra, hunc locum ex rh. Ω esse effictum.

His igitur, de quibus modo locuti sumus, versibus eo tempore, quo fortasse hominum graecorum animis is exitus Iliadis, qui genuinus fuisse videtur, iam non satis faciebat (etenim quadam et curiositate et misericordia tenebantur, ut quid de Hectoris corpore esset factum scire cuperent) poëta aliquis non ille quidem homerico ingenio praeditus adductus atque excitatus esse videtur, ut Ἕκτορος λύτροις aequalium expectationem expleret. Graeci autem, quippe qui singulari quadam Homerum admiratione celebrarent atque mira illa sermonis homerici versusque epici suavitate capti omnia, quae quandam ingenii homerici similitudinem prae se ferebant, libentissime audirent quique illis temporibus artis criticae omnino essent rudes, ut alias Iliadis partes, quae nobis minus placent, ita hanc quoque rhapsodiam, qua argumentum illud ex rh. X repetitum copiosius esse expositum atque illustratum supra diximus, ut Homero minime indignam accipiebant.

At ne nostra quidem aetate defuerunt, qui nos hac rh. prorsus carere non posse affirmarent. Hectore enim necato Achillis ultionem nondum esse expletam atque satiatam, non solum amicum occisum esse sepeliendum ludisque solennibus eius funus celebrandum (quo in funere duodecim

*) p. 84.
**) p. 85.

illos captivos Troianos quorum antea mentio esset facta *) esse immolandos) sed etiam Hectoris corpus ea, quam minatus esset Achilles **) contumelia esse afficiendum. Ac ne sic quidem Iliadem bene apteque finiri. Repugnare enim legibus artis poëticae (ita enim aiunt) carmen terminari animo illo Achillis ulciscendi cupidissimo non placato, non posse desinere Iliadem in lamentationes illas miserrimas, quae de Hectoris nece eduntur. Quem ibi esse finem? Quam absolutionem, ut ita dicam, atque perfectionem ultionis? Eam inveniri in hac rhapsodia, in qua Achilles, qui iam habeat perspectum ne ultione quidem expleta animum posse reconciliari, fati intelligat necessitatem aequo animo esse ferendam, levitatem atque inconstantiam fortunae humanae deploret, ubi animo tranquillo et placato cum eius, qui Patroclum occidit, patre sub eodem tecto dormiat eique filii corpus reddat. ***)

Neque vero mihi in animo est contra ea, quae proposui, copiosius disserere, quum non sim nescius de eius modi rebus, quae ad aestheticam quam vocant revocantur, haud raro in utramque partem satis bene atque probabiliter disputari et posse et solere. At vereor qui talibus causis moti rh. XXIV defendunt, ne minus ex homericae aetatis ingenio quam ex suis ipsorum nostrorumque temporum moribus tulerint iudicium. †) Quod utcunque est, num aestheticae illius praeceptis maiorem habebimus fidem quam causis atque rationibus ex ipsis carminibus repetitis?

Sed antequam ad ipsam rem accedamus, si qui erunt, qui haec legant, quos perpaucos fore non ignoro, eos tria praemonitos volo. Primum quum tam multa quum de aliis scriptoribus antiquitatis tum de Homero et scripta sint et scribantur quumque omnia legendi nobis in hoc oppidulo neque sit occasio neque tempus neque fortasse, si per utrumque liceret, voluntas, usu potest venire, ut quaedam a me proferantur, quae me insciente iam ab aliis sunt prolata. Quod si acciderit, oro atque rogo, ne quis putet me illorum qui hanc illamve rem primi ostenderunt laudi officere vel obtrectare vel falsam atque inanem gloriolam (a nulla enim re longius absum) velle praeripere. Deinde iam antea de via et ratione quam in eiusmodi rebus diiudicandis ineundam esse putavi, disserui ††), ea hoc loco denuo exponere opus non est visum. Postremo fortasse quibusdam res afferre videbor, quae parvi vel nullius momenti sint, minutisque rebus (id quod iam mihi vitio est datum) nimium me leviter tribuere arbitrabuntur. Quibus respondeo me non unicuique rei, quam proponam, neque nunc tribuere magnum neque antea tribuisse. At ut multis guttis lapidem interdum videmus excavari, nonne idem cadet in has quaestiones? non multis argumentis, quae quidem sin-

---

*) Φ 27 sqq., Ψ 22 sqq.

**) X 335, 354.

***) in hanc fere sententiam disputavit H. Düntzer: über das vierundzwanzigste Buch der Ilias. Rh. Mus. N. F. 3. 1846 cf. Otfr. Müller. Gesch. d. gr. Lit. I 97. „Nie würde die Ilias ein vollständiges Ganzes geworden sein ohne die Auslieferung der Leiche Hectors an seinen Vater und die ehrenvolle Bestattung des Troianerhelden, et paulo infra: Es ist klar, dass Homer erstens den Plan der Ilias mit dem vollen Bewusstsein entwarf, dass der Zorn des Achilles gegen Hector irgend eine Milderung, eine Versöhnung bedürfe und dass am Ende des Gedichts für den Helden wie für den Dichter eine sanfte und menschliche Gemüthsstimmung, welche mit Ruhe die Zukunft erwartet, erforderlich sei. G. W. Nitzsch: Die Sagenpoesie der Griechen 270: das Gedicht schliesst nicht mit der Rache an Hector, weil Achill nicht zuletzt als der grause, wilde Rächer erscheinen durfte, nach den Leichenspielen dient namentlich die Scene mit Priamus zur Beruhigung und Erhebung der Menschlichkeit Achills.

†) Optime de hac re videtur indicasse G. Bernhardy. Gesch. d. gr. Lit. II. Bearb. II. 1 p. 97. Da wir nun hier auf unser eignes Urtheil angewiesen sind, so dürfte man ohne zu grosse Gefahr dieses Buch, welches erstlich als ein bequemer wenn auch nicht unentbehrlicher Abschluss der Achilleis erwartet werden konnte, dann aber auch durch das wachsende Gefühl für Sitte und Sittlichkeit gefordert wurde, fast an den Beginn der Cycliker rücken, idemque p. 118: Doch konnte das Gedicht mit dem Tode Hectors nicht schliessen, sondern Sitte und das Gefühl höherer Sittlichkeit forderten *in vorgerückten Zeiten der Rhapsodie* die feierliche Bestattung sowohl des Patroclos (neben episodischen Leichenspielen) als auch des Hector, um den seine Stadt trauert.

††) de extr. Od. parte dissertatio Bielef. 1855 Progr.

gula per se non multum valeant, valeant multum coniuncta, non levium illarum parvarumque rerum multitudine aliquid probari posse censebimus? non si in multis rebus iisque parvis (neque tamen res solum parvas me prolaturum puto) hanc rhapsodiam ab antiquioribus Iliadis partibus abhorrere demonstravero, eam ab homerica aetate atque antiquiorum illorum vatum ingenio et indole alienam esse statuemus!

Verum ut tandem aliquando ad ipsam rem accedamus id est ad Ἕκτορος illa λύτρα: Ludis funebribus, quos Achilles Patroclo instituerat peractis ceteri ut coenarent et coenati quiescerent ad suum quisque tentorium discesserunt. Achilles autem desiderio amici carissimi motus plorabat neque somnum capere poterat, huc et illuc corpus volvens recordabatur lacrimis obortis, quas res cum Patroclo gessisset terra marique. Tum vero cubili relicto errabat per littus neque ortus Aurorae eum fugiebat. Hectoris corpus denuo ad currum religatum ter circum Patrocli tumulum rapiebat, raptum humi relinquebat iacens, ipse iterum in tentorio se dabat quieti. Apollo autem Hectoris corpus ne deformaretur, aurea aegide prohibebat. (1—21)

Atque primum quidem transitum ad hanc rhapsodiam non satis apte esse institutum, iam Lachmannus animadvertit. *) Adde quod orditur hoc carmen a forma λῦτο, quod utrum sit imperfectum an aoristus an plusquamperfectum ne inter Alexandrinos quidem satis constat. Jam vero fac animum attendas, quantopere is, qui hanc rhapsodiam composuit, ab homerica illa abhorreat perspicuitate, quam obscure et perplexe haec describat. Versus primos si legeris, de ea tantum nocte poëtam loqui putabis, quae diem, quo Patroclus erat sepultus, excipit, contra si formas iterativas quae vocantur, si verba ἐπεὶ ζεύξειεν (14) vel leviter tecum perpenderis longius quoddam temporis spatium significare poëta atque narrare videbitur quoque die post Patrocli sepulturam bene mane Hectoris corpus a crudelissimo illo Achille acerbissima esse contumelia affectum. Quam rem non satis apte atque prudenter esse fictam nemo, opinor, negabit.

Liceat mihi hoc loco rem quandam commemorare, quae et ipsa forsitan multis levior atque minutior esse videatur neque vereri vel molestae putidaeque diligentiae crimen. In nulla Iliadis parte tot quot in hac iterativas quas vocant formas deprehendes, sunt enim nisi fallor undeviginti vel viginti: 12 δινεύεσκ', 13 λήθεσκεν, 15 δησάσκετο, 17 παυέσκετο, ἔασκεν, 23 ἐλεαίρεσκον, 24 ὀτρύνεσκον, 67 ἔσκε, 258 ἔσκε, 393 κτείνεσκε, 454 ἐπιῤῥήσσεσκον, 455 ἀναοίγεσκον, 456 ἐπιῤῥήσσεσκε, 472 ἵζεσκε, 607 ἰσάσκετο, 739 ἔσκε, 752 πέρνασχ', ἕλεσκε, 755 ῥυστάζεσκεν. Viginti sunt, si cum Carolo Schmidtio, viro doctissimo ῥύσκευ (730) formam iterativam esse statuemus. **)

Quod ne temere videar contendisse, iam vide in ceteris rhapsodiis, quot formae iterativae occurrant, in rh. *Α* tres (490—492), novem in *Β* (189, 199, 221, 271, 539, 758, 832), septem in *Γ* (180, 217, 219, 297, 319, 388), quinque in *Δ* (46, 81, 85, 233, 241), octo in *Ε* (126, 472, 708, 786, 788, 790, 802, 857), quatuor in *Ζ* (15, 19, 402, 460), quinque in *Η* (140, 141, 153, 178, 201). sex in *Θ* (250, 270—2, 363, 364), decem in *Ι* (331, 332, 353, 450, 451, 486, 540, 562), una in *Κ* (490), undecim in *Λ* ***) (64, 125, 330, 566—8, 627, 636, 669, 673, 746), nulla in *Μ*, sex in *Ν* (106, 372, 398, 407, 461, 697), duae in *Ξ* (124, 382), septem in *Ο* (23, 334, 338, 640, 646, 723, 745), octo in *Π* (147, 225—7, 292, 550, 551, 719), undecim in *Ρ* (308, 351, 409, 414, 420, 423, 461, 462, 575, 585), novem in *Σ* (118, 159, 160, 259, 289, 546, 599, 602), quinque in *Τ* (42, 86, 132, 135, 295), quinque in *Υ* (28, 229. 408—10), duae in *Φ* (31, 448), decem in *Χ* (155, 197, 372, 375, 433, 458, 459, 501, 503), tres in *Ψ* (61, 369, 827).

---

*) p. 85.

**) Probe aus einer wissenschaftlichen Darstellung des griechischen Verbums. Progr. Bielef. 1861.

***) *Λ* 604 παρέβασκε forma iterativa esse non videtur cf. Schmidt l. l. p. 6.

Inter omnes, qui in eiusmodi quaestionibus versantur, satis constat in iis homericorum carminum partibus, quae postea demum adiectae sunt, multos versus a poëtis esse usurpatos, qui iam in antiquioribus carminibus inveniuntur. Qua in re nihil tribuo iis versibus, quibus illae describuntur res, quarum saepissime non poterat non mentio fieri quique ab omnibus eius aetatis vatibus sine ulla dubitatione repetebantur; at alii quoque versus, qui in illum numerum nullo modo possunt referri, haud raro tam saepe tamque immodice repetuntur, ut quaedam partes centoni simillimi esse videantur. Neque tamen fieri potest ut uno quoque loco diiudicetur, quo loco aliquis versus propriam quasi habeat sedem; noli enim arbitrari imitatores illos omnes tam malos atque ineptos omnique arte fuisse destitutos, ut omnia fingerent pessime, ut quemque versum loco ponerent inepto? at partim ipso eiusmodi versuum numero haud raro suspicio moveatur necesse est (velut *Η* 313 sqq., *Θ* init, *Κ*, *ω*), partim usu venit nonnunquam, ut posteriores illi poëtae nimia alienos versus suos faciendi cupiditate occaecati ipsi suis quasi laqueis adeo irretirentur, ut se expedire non possent, ut versus, qui aliis locis fuerant aptissimi, ineptissimo loco atque ita quidem ponerent, ut furtum sponte pateat. Huius quoque de qua agimus rhapsodiae versus permultos in aliis carminibus et Iliadis et Odysseae invenies. Longum est neque necessarium de unoquoque versu vel hemistichio accuratius disserere et suum cuique locum proprium, si quidem fieri potest, attribuere. Indicem, quo eius modi versus enumerantur, locupletissimum, si per spatii quod mihi concessum est, licuerit angustias, huic dissertationi subiiciam, de iis versibus, in quibus singulare quiddam mihi inesse videtur, accuratius disputabo.

Versus 6—9 ab Aristophane et Aristarcho qui quidem ab alio quodam grammatico ea de causa ut *ἐμβρόντητοι ῥηματίων κακοσχόλως ἐχόμενοι* vituperantur, eiiciuntur.

Ne de una eademque re identidem agamus, hoc loco commemorasse sat erit nulli Iliadis rhapsodiae tot esse vocabula communia cum Odyssea. Sunt autem, nisi me quaedam fugerunt, haec: 5 *πανδαμάτωρ ι* 373, 7 *τολύπευσε Ξ* 86, quinquies in Od., 19 *ἀεικείην υ* 308, 24 et 109 *ἐύσκοπον*; 33 *δηλήμονες* ter in Od. *εἰς Ἔχετον βασιλῆα βροτῶν δηλήμονα πάντων* cf. *ε* 118; 38 *κτέρεα α* 291, *β* 221, *γ* 285; 52 *κάλλιον* septies in Od., *κ* 396 *καλλίονες*; 124 *ἄριστον π* 2; 155, 184, 199 *ἔσω*, quater in Od., Hes. Theog. 750; 158, 187, 438, *Ψ* 90 *ἐνδυκέως* saepe in Od.; 162 *ἔφυρον*, *φύρσω σ* 21, *πεφυρμένος* quater in Od.; 189, 266, 248 *ἡμιονείην*, *φ* 42; 192, 267 *πείρινθα ο* 131; 221 *θυοσκόοι χ* 318, 321; 223 *ἐσέδρακον ι* 146, *τ* 476; 228 *φωριαμῶν ο* 104; 235 *ἐξεσίην φ* 20; 257 *ἱππιοχάρμην λ* 259; 324 *τετράκυκλον ι* 242; 342, 545, 776 *ἀπείρων*. *Η* 446, haud raro in Od., apud Hes.; 348 *ὑπηνήτῃ κ* 279; 365 *ἀνάρσιοι* quinquies in Od.; 388 *ἀπότμου α* 219, *υ* 140, *πανάποτμος Ω* 255, 493; 409 *μελειστί ι* 291, *σ* 338; 463 *εἴσειμι σ* 184, *χ* 470; 464 *ἀγαπαζέμεν* saepius in Od., *ἀμφαγαπάζω Π* 192; 487 *τηλίκου* quater in Od.; 525 *ἐπεκλώσαντο* saepius in Od.; 524 *πρῆξις* quinquies in Od.; 529 *ἀμμίξας*, *κ* 235 *ἀνέμισγε*, *δ* 41 in tmesi; 535 *γενετῆς σ* 6; 539 *γονή δ* 755; 543 *ὄλβιον* saepissime in Od., hymnis hom., apud Hesiodum (ed. Goettl.) Opp. 172, 826, Theog. 96, 954; *ὄλβος* bis tantum, nisi fallor in Iliade *Π* 596, *Ω* 536, saepenumero in Od., apud Hes. Opp. 281, 319, 321, 326, 379, 637, Scut. 204, Theog. 420, 974; *ὀλβιόδαιμον Γ* 182; 544 *ἄνω λ* 595; *ἐκκαλέσας κ* 471, *ω* 1; 621 *ἄργυφον κ* 85, hy. Merc. 250, *ἀργύφεον Σ* 50, *ε* 243, *κ* 543, hy. Merc. 196, Hes. Theog. 574; 644 *δέμνι ῥήγεα* in versu ex Od. depromto; 647 *δάος* item; 648 *ἐγκονέουσαι* item cf. *η* 340, *ψ* 291; 655 *λύσιος*, *λύσιν ι* 421; 717 *κλαυθμοῖο* sexies in Od.; *) 722 *ἐθρήνεον ω* 61; 755 *ῥυστάζεσκεν π* 109, *υ* 319, *σ* 223 *ῥυστακτύος*; 772 *ἀγανοφροσύνη λ* 203, *ἀγανόφρων Ω* 467; 798 *κατεστόρεσαν*, *ν* 73, *υ* 2 in tmesi.

Adde his quae modo attuli vocabulis 93 *κάλυμμα* hy. Cer. 42; 94 *ἔσθος* hy. Sol. 13; 261 *χοροιτυπίῃσι* hy Merc. 31 *χοροίτυπε*; 531 *λωβητός* Hes. Scut. 366.

---

*) hoc vocab. Friedländer non affert: Zwei homer. Wörterverzeichnisse cf. p. 793. 4. item omisit *ἐπικλωθω*.

Neque tamen unoquoque vocabulo puto effici, ut haec rhapsodia posterioribus demum temporibus facta esse videatur, quaedam satis bonam atque probabilem habent excusationem, nonnulla in iis versibus sunt, qui ex Odyssea sunt depromti, aliis magnum tribuere singulis leve forsitan atque temerarium sit — at ipsa eiusmodi vocabulorum frequentia nonne haec rhapsodia in suspicionem vocatur?

Vv. 20 et 21 ab Alexandrinis delentur: Contendunt eos redundare, non convenire Jovis aegide hominem mortuum tegi, non satis apte corpus ab Achille raptum eo ipso tegi tempore, aegidem non esse Apollinis, repugnare h. l. alii cuidam (*Ψ* 186, 188). At nescio an de eiusmodi locis aliter sit iudicandum. Etenim si is qui hanc rhapsodiam adiecit (a quo quaedam bene esse instituta non nego) in multis locis ab ratione homerica id est ab ea, quam in ceteris Iliadis partibus plerisque deprehendimus, recedit, si multarum rerum, quas quidem antiquiores illi vates videntur ignorasse, vel aliam vel maiorem habuit notitiam atque scientiam, iure poterit quaeri, utrum (id quod Alexandrini fecerunt) omnes huius rh. loci, qui cum ceteris Iliadis partibus discrepant, sint reiiciendi atque delendi, anne sint integri intactique relinquendi, argumenta nimirum unde de recentiore huius partis origine coniecturam facere liceat. Equidem plurimos eiusmodi locos (quos multo plures ante Alexandrinorum aetatem fuisse puto) delendos esse nego; contra Alexandrini, qui tametsi multa in hac rh. vituperabant, tamen animum inducere non potuerunt, ut eam ab Homero abiudicarent, quique, quum falsam, ut eo tempore par erat, de Homero poeta et de origine atque primordiis poesis epicae haberent opinionem, quae ceteris partibus repugnabant vel divini illius poetae ingenio et arte indigna esse videbantur, ea tollere atque delere non dubitabant. Jure igitur hunc locum ab Alexandrinis notatum esse concedo, athetesi non erat utendum, erat confitendum et hunc locum et huius rh. alios multos a ceteris mirum quantum recedere.

Vv. 22—76. Dii misericordia commoti petunt a Mercurio, ut Hectoris corpus furetur, a Neptuno Junone Minerva prohibentur, increpantur ab Apolline, cui respondet Juno. Componitur rixa a Jove, qui Hectoris pietate laudata se per Thetidem Achilli denuntiaturum ostendit, ut pretio accepto Hectoris corpus reddat.

Multa in his vv. Alexandrini vituperarunt. Potissima breviter exponam: 1. *τὸ κλέπτειν δι' Ἑρμοῦ θεοῖς οὐ πρέπον.* 2. *τὸ νείκεσσε οὐκ ἔστι κρῖναι ἀλλ' ἐπιπλῆξαι ἢ διαφέρεσθαι.* 3. *ἡ μέσαυλος σημαίνει τὴν ἐν ὄρει οἴκησιν Ὁμήρου παραδεδωκότος ἐν ἄστει τεθράφθαι τὸν Ἀλέξανδρον καὶ μουσικὴν ἠσκηκέναι Γ* 54. 4. *ἡ μαχλοσύνη κοινῶς ἐπὶ γυναικὶ μανία, Ἡσιόδειος δ' ἐστιν ἡ λέξις*; 5. *τὴν περὶ κάλλους κρίσιν οὐκ οἶδεν. πολλαχῇ γὰρ ἂν ἐμνήσθη* (cf. schol. *Δ* 52). *) Argumentorum, quae modo attuli alterum et tertium falsa sunt et inania, nam *νείκεσε* h. l. non habet eam vim qua scholiastae offendebantur iudicandi, habet vim increpandi, deinde non constat Paridem in urbe esse educatum neque unquam postea ad greges rediisse **). Cetera quae proposuerunt probanda esse mihi videntur. Nullo modo fieri poterat, ut antiquior quilibet poeta (scilicet ante aetatem cyclicam) certaminis illius, quo nil fere postea clarius, quod de pulchritudine inter tres illas deas esse exortum postea celebratum est, h. l. faceret mentionem. Nusquam per totam et Iliadem et Odysseam (et tam saepe fieri poterat atque adeo erat necesse) ullum invenies locum, unde hanc fabulam, quam fortasse ne Hesiodus quidem, qui multo post fuit, novit, homerica aetate notam fuisse coniicere liceat. ***) Consilium quoque illud, quo Mercurius a diis (quod non omnes dii illius furti

---

*) cf. B. M. V. ad *Ω* 23, A ad *Ω* 25.

**) cf. F. G. Welcker ep. Cycl. II p. 116.

***) cf. Faesi ad *Ω* 29. Qua de re non recte disputasse mihi videtur. Nestor ille in nostra provincia philologorum. F. G. Welckerus vir doctissimus (l. l. p. 114): „Da nun so viele Umstände in der ganzen Geschichte seit Homer einstimmig erzählt wurden, die Erfindung vom Kampf der Göttinnen aber so einfach, so stätig, so geschickt, um alles

auctores sunt, id mihi non urgendum esse videtur) Hectoris corpus surripere iubetur, haud immerito vituperatur. Adde quod hoc tantum loco (et 109) in Iliade Mercurius vocatur *εὔσκοπος*, saepius in Odyssea. In vocabulo *μαχλοσύνη* *) obscoeni quiddam videtur inesse, qua de causa ab Alexandrinis improbatum est; fuerunt qui totum hemistichium mutarent.

Jam vero fac tecum perpendas h. l. multa minus apte esse instituta, multa negligentissime esse dicta, in multis rebus et h. l. et aliis huius rh. non paucis longe aliam rerum mythicarum scientiam, quam quae homericae aetatis videtur fuisse inveniri. Num delebis vel vv. 28—30 cum A. Köchly **), vel 23—30 cum Alexandrinis, vel 18—31 cum H. Düntzero ***)? praesertim quum iis versibus eiectis v. 35 vix vel potius nulla ratione possit explicari? Num delebis quoque vv. 59—63, quibus id quod nusquam alibi (atque tam saepe poterat) est narratum Thetidem deam marinam a Junone esse educatam, a Junone Peleo esse datam uxorem, omnes deos fatalibus illis nuptiis interfuisse? delebis quoque versus, quibus Niobes fabula continetur? (602 sqq.), alios, quibus res narrantur, quae ad cyclicam et aetatem et scientiam referendae esse videantur? Minoris sit audaciae mecum statuere ex his similibusque rebus esse colligendum cyclicorum demum temporibus, quibus celeberrimum illud Paridis judicium et narrari et credi coeptum est, hanc quoque rhapsodiam esse ortam, quam audacissimis illis multorum versuum athetesibus eam purgare atque in integrum restituere conari nequidquam. Quid audacius quam affirmare carmini bene facto ab rhapsodo aliquo, homine credo ineptissimo atque stultissimo, eiusmodi res esse inculcatas?

Huc accedit, quod etiam ab sermonis homerici consuetudine quaedam h. l. videntur abhorrere ut v. 22 (54) *Ἕκτορα δῖον ἀεικίζει μενεαίνων*. Nam participium *μενεαίνων* apud Homerum coniungitur cum infinitivo velut *κατακτάμεναι*, *ἐπισπέσθαι*, *δαιζέμεναι*, *ἐρύσσεσθαι*, *ὀρέξασθαι*, *πιέειν μενεαίνων*. Uno loco *T* 367, res aliter sese videtur habere. *Τρωσὶν μενεαίνων δύσετο δῶρα θεοῦ*, sed is locus, praeterquam quod cum hoc aliis de causis conferri non poterit, iam ab Alexandrinis deletur. Aliis autem locis duobus adeo non improbatur quod dixi, ut confirmetur. Nam *O* 617 *ἀλλ' οὐδ' ὣς δυνατο ῥῆξαι μάλαπερ μενεαίνων*, quisque facile supplebit *ῥῆξαι* idemque cadit in *ε* 341 *οὐ μὲν δή σε καταφθίσει μάλα περ μενεαίνων*. Düntzerus offenditur verbis *γλαυκώπιδι κούρῃ* (v. 26) et *λαὸς* (v. 28) cui alibi genet. *Πριάμοιο* adjunctus esse soleat. Obversabatur huius poëtae animo vel *β* 433 *ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλ. κ.*, vel *ω* 518 *εὐξάμενος κούρῃ γλ. ἠ Διὶ πατρί*, quibus locis res paulo secus est, v. 28 ex duobus aliis est compositus.

Versum 31 *ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ' ἠώς* (idem v. *A* 493) h. l. non satis apte esse positum rectissime contendit Lachmannus. Etenim difficillimum est explicare, a quonam tandem tempore h. l. poëta dies computet, praesertim quum, id quod supra demonstravimus, versibus 12 et sqq. longius quoddam temporis spatium iam praeteriisse significetur. Ex versu demum 107 et ex v. 413 licet coniicere h. quoque l. dies ab eo die, quo Hector est necatus, numerandos.

41. De similibus, quae in hac rh. sunt, prudenter, ut solet, et scite iudicavit G. Bernhardy, vir doctissimus †).

Folgende daraus zu entwickeln erscheint, so ist sie bei Homer als allbekannt vorauszusetzen, selbst wenn sie in jener Stelle untergeschoben *oder vielmehr der ganze Gesang später als Homer war.* Wir sehen hier grade recht deutlich, wie die homer. Dichtung einen ihren Hörern allgemein gegenwärtigen Hintergrund und als Theil ein Ganzes der Sage voraussetzt.

*) Hes. Fragm. 41 Göttl *εἵνεκα μαχλοσύνης στυγερῆς τέρεν ὤλεσεν ἄνθος*.

**) p. 11.

***) p. 383.

†) II a p. 48. Am Schluss der Ilias weicht sogar das Gleichniss vor dem bildlichen Ausdruck (*Ω* 41, 80), dagegen ist ein einziges Beispiel v. 480 völlig geistiger Natur.

[illegible] Homerum. Plurali numero [illegible] ... plurale invenitur idque in Doloneа (3б3 [illegible] ... intellexerunt. Quam non [illegible] ... videntur, cedit igitur haec [illegible] ... quae et ipsa Homericis [illegible] ... Ceterum et quae de v. 210 disputabuntur.

[illegible] vv. 53 [illegible] ... mihi rationes quae [illegible] sunt non [illegible] ... exemplo [illegible] ... explicatur qui- [illegible] ... a Düntzero [illegible]), et [illegible]

[illegible] codice apparebit, vv. 71—3 ab Alexandrinis esse de- [illegible]

[illegible] non 213 [illegible] de industria [illegible]

[illegible] vollkommen sinnlos: es würde dadurch die [illegible] als eine Schwachheit entschuldigt werden, während sie als eine Tu- [illegible] ... fehlen und der [illegible] ... wir nicht sehen. Vgl. d. 124. Bernhardy S. 141 f.

auctores sunt, id mihi non urgendum esse videtur) Hectoris corpus surripere iubetur, haud immerito vituperatur. Adde quod hoc tantum loco (et 109) in Iliade Mercurius vocatur *εὔσκοπος*, saepius in Odyssea. In vocabulo *μαχλοσύνη* *) obscoeni quiddam videtur inesse, qua de causa ab Alexandrinis improbatum est; fuerunt qui totum hemistichium mutarent.

Jam vero fac tecum perpendas h. l. multa minus apte esse instituta, multa negligentissime esse dicta, in multis rebus et h. l. et aliis huius rh. non paucis longe aliam rerum mythicarum scientiam, quam quae homericae aetatis videtur fuisse inveniri. Num delebis vel vv. 28—30 cum A. Köchly **), vel 23—30 cum Alexandrinis, vel 18—31 cum H. Düntzero ***)? praesertim quum iis versibus eiectis v. 35 vix vel potius nulla ratione possit explicari? Num delebis quoque vv.59—63, quibus id quod nusquam alibi (atque tam saepe poterat) est narratum Thetidem deam marinam a Junone esse educatam, a Junone Peleo esse datam uxorem, omnes deos fatalibus illis nuptiis interfuisse? delebis quoque versus, quibus Niobes fabula continetur? (602 sqq.), alios, quibus res narrantur, quae ad cyclicam et aetatem et scientiam referendae esse videantur? Minoris sit audaciae mecum statuere ex his similibusque rebus esse colligendum cyclicorum demum temporibus, quibus celeberrimum illud Paridis judicium et narrari et credi coeptum est, hanc quoque rhapsodiam esse ortam, quam audacissimis illis multorum versuum athetesibus eam purgare atque in integrum restituere conari nequidquam. Quid audacius quam affirmare carmini bene facto ab rhapsodo aliquo, homine credo ineptissimo atque stultissimo, eiusmodi res esse inculcatas?

Huc accedit, quod etiam ab sermonis homerici consuetudiue quaedam h. l. videntur abhorrere ut v. 22 (54) *Ἕκτορα δῖον ἀεικίζει μενεαίνων*. Nam participium *μενεαίνων* apud Homerum coniungitur cum infinitivo velut *κατακτάμεναι*, *ἐπισπέσθαι*, *δαιζέμεναι*, *ἐρύσσεσθαι*, *ὀρέξασθαι*, *πιέειν μενεαίνων*. Uno loco *T* 367, res aliter sese videtur habere. *Τρωσὶν μενεαίνων δύσετο δῶρα θεοῦ*, sed is locus, praeterquam quod cum hoc aliis de causis conferri non poterit, iam ab Alexandrinis deletur. Aliis autem locis duobus adeo non improbatur quod dixi, ut confirmetur. Nam *O* 617 *ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὡς δυνατο ῥῆξαι μάλαπερ μενεαίνων*, quisque facile supplebit *ῥῆξαι* idemque cadit in *ε* 341 *οὐ μὲν δή σε καταφθίσει μάλα περ μενεαίνων*. Düntzerus offenditur verbis *γλαυκώπιδι κούρῃ* (v. 26) et *λαὸς* (v. 28) cui alibi genet. *Πριάμοιο* adjunctus esse soleat. Obversabatur huius poëtae animo vel *β* 433 *ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Διὸς γλ. κ.*, vel *ω* 518 *εὐξάμενος κούρῃ γλ. ἠ Διὶ πατρί*, quibus locis res paulo secus est, v. 28 ex duobus aliis est compositus.

Versum 31 *ἀλλ᾽ ὅτε δή ῥ᾽ ἐκ τοῖο δυωδεκάτη γένετ᾽ ἠώς* (idem v. *A* 493) h. l. non satis apte esse positum rectissime contendit Lachmannus. Etenim difficillimum est explicare, a quonam tandem tempore h. l. poëta dies computet, praesertim quum, id quod supra demonstravimus, versibus 12 et sqq. longius quoddam temporis spatium iam praeteriisse significetur. Ex versu demum 107 et ex v. 413 licet coniicere h. quoque l. dies ab eo die, quo Hector est necatus, numerandos.

41. De similibus, quae in hac rh. sunt, prudenter, ut solet, et scite iudicavit G. Bernhardy, vir doctissimus †).

Folgende daraus zu entwickeln erscheint, so ist sie bei Homer als allbekannt vorauszusetzen, selbst wenn sie in jener Stelle untergeschoben *oder vielmehr der ganze Gesang später als Homer war.* Wir sehen hier grade recht deutlich, wie die homer. Dichtung einen ihren Hörern allgemein gegenwärtigen Hintergrund und als Theil ein Ganzes der Sage voraussetzt.

*) Hes. Fragm. 41 Göttl *εἵνεκα μαχλοσύνης στυγερῆς τέρεν ὤλεσεν ἄνθος*.

**) p. 11.

***) p. 383.

†) II a p. 48. Am Schluss der Ilias weicht sogar das Gleichniss vor dem bildlichen Ausdruck (*Ω* 41, 80), dagegen ist ein einziges Beispiel v. 480 völlig geistiger Natur.

43. *βροτῶν ἵνα δαῖτα*, cf. Faesi ad. h. l.

44. *ἔλεον*. *ἁ. ε.*, a Lud. Friedlaendero, viro doctissimo, qui eiusmodi vocabula colligendo de omnibus, qui in his studiis versantur, optime meruit omissum *). Neque tamen licet in hoc vocabulo, quod vulgo faciunt, affirmare, non fuisse opportunitatem huius vocabuli saepius utendi, forte fortuna esse factum, ut semel tantum usurparetur. Quae ad eandem stirpem referuntur habes apud Homerum haec: *ἐλεεινός* 309, 504 saepe, *ἐλεέω* 207, 301, 332, 357, 503 alibi, *ἐλεήμων* ε 191, *ἐλεητύς* bis in Od., *ἐλεαίρω* 19, 23, 174 saepe, *νηλεής*. Nonne mirabimur simplex hoc uno loco inveniri?

V. 45 Alexandrini ut depromtum ex Hesiodo (Opp. 318) removendum esse censuerunt. Cautius iudicavit Goettlingius, cui et hic versus et ρ 347, qui et ipse apud Hesiodum est, Homero et Hesiodo antiquiores esse videntur, sumpta ex antiquis proverbiis. At quis credat antiquissima proverbia hexametris tradi solita? Quamquam igitur concedo sententiam esse antiquiorem, tamen de forma, qua profertur, ad utrum sit referenda poterit dubitari.

V. 48 *κλαύσας καὶ ὀδυράμενος μεθέηκεν*. Omnes evolve Iliadis Odysseaeque rhapsodias, nullum invenies locum, ubi *μεθιέναι* cum participio sit coniunctum. Nam aut absolute, ut aiunt, ponitur ut δ 372 *ἑκὼν μεθίεις καὶ τέρπεαι ἄλγεα πάσχων* cf. *Λ* 516, *Z* 323, *K* 121, *N* 229, *O* 553. 716, *Π* 762, *Φ* 72, aut coniungitur cum genetivo *πολέμοιο μεθήσετε* *N* 97, *μεθίετε θούριδος ἀλκῆς* *Δ* 234, aut cum accusativo *εἴ με μεθείῃ ῥῖγος καὶ κάματος* ε 471, *μεθέμεν χόλον* *A* 283, aut sequitur infinitivus *ὅς τις ἐπ' ἤματι τῷδε ἑκὼν μεθίῃσι μάχεσθαι* *N* 234. Huic autem verborum quam vocant constructioni apud Homerum nihil simile invenies.

V. 49 gravissime vituperavit Köchly, ut mihi quidem videtur, non satis iusta motus **) causa Aliud inest in h. v, quo offendor, quod ab Alexandrinis non esse notatum miror. Hunc enim versum si exceperis unam Parcam, non plures deprehendes apud Homerum. Plurali numero si utuntur vates homerici non loquuntur de deabus illis, quae fato quasi praesidere humanamque sortem regere et dicebantur et credebantur, loquuntur de partibus ut ϑ 470 *μοίρας ἔνεμον*, υ 260 *σπλάγχνων μοίρας*. Huc accedit, quod in Iliade nisi fallor semel tantum pluralis invenitur idque in Dolonea (253 *τῶν δύο μοιράων*), de qua quid esset iudicandum iam Alexandrini intellexerunt. Quam rem h. l. secus esse neminem fugiet. Plures Parcae postea demum statutae esse videntur, cadit igitur haec scientia in tempora Hesiodi, qui tres novit Parcas eorumque nomina, quae et ipsa Homericis vatibus fuerunt incognita, prodit. (Theog. 217, 904, 905). Ceterum cf. quae de v. 210 disputabuntur.

Alexandrini reiecerunt v. 53, Köchly et vv. 53 et 54, mihi rationes quas secuti sunt non probarunt.

62. in forma *ἀντιάασθε* forsitan silentio non sit praetermittendum, h. l. excepto verbi *ἀντιάω* formam mediam non inveniri, contra verbi *ἄντομαι* nullam formam activam.

V. 68 prior pars subobscura, posterior *ἐπεὶ οὔ τι φίλων ἡμάρτανε δώρων* explicatur quidem a scholiasta V.: *ἐπεὶ οὐχ ἡμάρτανεν ὁ Ἕκτωρ ἐμοὶ τὰ προσηνῆ ποιεῖν* atque a Düntzero ***), at verborum illa coniunctio valde mira.

Vv. 69, 70 aliunde esse repetitos ex indice apparebit, vv. 71—3 ab Alexandrinis esse de-

*) cf. p. 733. Adde praeterea ex h. rh. 94 *ἔσθος*, 240 *κηδήσοντες*, nam 218 *κατερυκάνω* de industria, opinor, non attulit.

**) p. 11. V. 19 ist in diesem Zusammenhang und in Apollons Munde vollkommen sinnlos: es würde dadurch die Versöhnlichkeit der gewöhnlichen Menschen als eine Schwachheit entschuldigt werden, während sie als eine Tugend gelobt wird.

***) p. 389 *ἡμάρτανε* ist hier nicht causativ zu nehmen, sondern heisst fehlen und der Genitiv *φίλων δώρων* bezeichnet die Veranlassung wie nicht selten. Vgl. ϑ 124. Bernhardy S. 141 ff.

letos consentaneum est, quum qui vv. 24 sqq. reiicit, ne hos quidem versus retinere possit. Qua de re me aliter statuere iam supra indicavi. Alexandrini autem aliis quoque causis commoti sunt, ut hos versus damnarent, primum quod in v. 71 verbum *ἐάω* longe aliam habet vim quam vulgo apud Homerum (qua re sine dubio Antimachus adductus est, ut scriberet *κλέψαι μὲν ἀμήχανον*); deinde vituperarunt versus *ὅτι ψεῦδος περιέχουσιν, οὐ γὰρ διὰ παντὸς συνδιατρίβει αὐτῷ ἡ Θέτις*. A ad *Ω* 71—73. Neque iniuria, nam prorsus futile atque ineptum esse videatur modo dicere Thetidem matrem Achillis interdiu noctuque esse apud filium eaque de causa consilium illud, quo Mercurius corpus furari, iubetur esse abiiciendum, modo paulo infra Thetidem in imo mari habitantem facere atque versantem. Quae res quanto melius in rh. *Ψ* instituta sit, iam paulisper, quaeso, animum attende. Huic si fidem habes Apollo si non per totos dies, at certe quoque die prima luce adest apud tentorium Achillis aurea aegide indutus, qua Hectoris corpus ab lacerationibus atque iniuriis foedissimis defendat. Ibidem adest Thetis dea marina interdiu noctuque. An quia fraudes illas atque insidias deorum suspicatur? Qua in re noster discrepat cum *Ψ* 185—7, ubi Venus narratur noctesque diesque canes arcere roseoque et ambrosio unguento ne violetur corpus perfundit, Phoebus autem, ne corpus calore solis putresceret, atram nubem obduxisse totumque locum, ubi corpus iacebat, obvolvisse narratur.

76—7. *ὥς κεν Ἀχιλλεύς δώρων ἐκ Πριάμοιο λάχῃ*. Hac quoque verborum coniunctione suspicio moveatur necesse est. Apud H. ex verbo *λαγχάνειν* pendet accusativus, non genetivus. *Ζεὺς δ' ἔλαχ' οὐρανόν, τὸ γὰρ λάχομεν γέρας ἡμεῖς, λαχόντα τε ληίδος αἶσαν, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσιν*. Alia exempla permulta facile invenies. Praeter h. l. unus in Od. repugnat *ε* 311 *τῷ κ' ἔλαχον κτερέων*. Nam perfectum ut aliam vim ita constructionem quoque habet aliam. cf. *Η* 80 *ὄφρα πυρός με ‖ Τρῶες καὶ Τρώων ἄλοχοι λελάχωσι θανόντα*, *Χ* 343, *Ο* 349, *Ψ* 76.

77—142. Quae quum Jupiter dixisset, Iris Thetidem, quae deabus marinis stipata in imo mari sedens filii sortem deplorat, arcessit. Thetis a Junone comiter salutata a Jove admonetur, ut filium admoneat, ut donis acceptis Hectoris corpus Priamo (eum enim ad naves esse venturum) reddat. Qua re audita Thetis e vestigio filium adit cumque eo Jovis communicat consilium, cui ille obtemperaturum sese affirmat.

Non urgebo quod in v. 79 prima syllaba adiectivi *μέλας* est producta quodque nullo alio loco apud H. pontus „niger" vocatur, non urgebo duo illa *ἀπ. εἰρ.* in v. 80 *μολυβδαίνῃ* et *βύσσον*, quorum alterum ideo potest excusari, quod ars piscandi non saepe ab H. commemoratur, alterum quidem non item; at duabus rebus, quae et ipsae nonnullis forsitan leviores esse videantur, maius quiddam tribuendum esse censeam. Primum enim in carminibus hom. quaedam vocabula suam quodque in versu habent sedem suumque locum, velut si *βοός* coniungitur cum *ἀγραύλοιο* nunquam substantivum non praecedit, sequitur adiectivum atque ita quidem, ut versum claudant, id quod h. l. secus est. Deinde *κῆρα φέρουσαι* (v. 82) de piscibus usurpatur, vocabulum *κήρ* autem omnibus aliis locis de hominum tantum fato adhibetur.

88 Scite Lachmannus animadvertit in antiquioribus Iliadis partibus orationes quae ex singulis versibus constarent non inveniri, inveniri in recentioribus. Cuius rei exempla affert haec *) *Σ* 182, 392, *Γ* 429, *Φ* 509, *Ψ* 707, 753, 770, nam *Λ* 606 delevit. Adde ex Od. *ϑ* 140. 358, *ι* 408, *κ* 320, *λ* 80, *ξ* 492, *ρ* 494, *χ* 491, *ω* 407.

Versum 86 Köchly cum scholiastis delet, at qui poterit versus qui antecedit explicari? Neque argumenta satis idonea attulit **). Nam si versus, qui ex aliorum versuum partibus quasi sunt consuti, ex hac rhapsodia removeremus omnes, sexcenti damnandi erant.

---

*) p. 81.

**) p. 12. V. 86 der ganz aus Flicken besteht, ist schon von den alten Kritikern alz unnütz verworfen worden.

Vv. 93. 4. duo ἀπ. εἰρ. κάλυμμα et ἔσθος, quae saepissime poterant usurpari; at in hymnis demum inveniuntur. (Cer. 42. Sol. 13), Praeterea nescio an quaerendum sit, num homerica iam aetate is fuerit mos, ut qui summo moerore sunt afflicti (nam quin ater color ad luctum sit referendus non dubito cf. Schol.) atra verte induti incederent. Neque in Iliade neque in Odyssea, nisi fallor, ullum eius moris apparet vestigium, contra in hymnis Ceres narratur filia Proserpina rapta atram vestem gestasse ideoque κυανόπεπλος vocatur. Nam quod in Theog. Hesiod. 406 idem epitheton Latonae tribuitur, id alio videtur pertinere.

Mira deinde, ubi Thetis in Olympum advenit, Jupiter narrat de rixa illa, quae per novem dies inter deos fuerat. Quisque nimirum quaeret, quare eius rei antea mentio non sit facta.

109 Sch. A. ἐντεῦθεν γὰρ γέγονεν ἡ προδιασκευὴ „ἀλλ' ἤτοι κλέψαι μὲν ἐάσομεν" 41. Sed nisi antea eiusmodi consilium esset commemoratum, h. l. minime opus erat eius facere mentionem. Düntzerus *) quidem ut omnes naevos huius rh. abstergeret, vv. 106—111 delendos esse censet. Cui respondeo: fieri quidem potuisse, ut posterior aliquis poeta cyclicae opinor aetatis recentiorem, qua erat, aetatem omnibus illis quos eiicere volunt locis proderet vel invitus, sed vix cogitari posse rhapsodum exstitisse tam ineptum, ut quae ceteris Iliadis partibus tam aperte repugnarent, huic rh. insereret plurima.

V. 116 Köchly delevit, iudica ipse quam recte **). 125 ἱέρευτο. Multae quidem formae activae verbi ἱερεύειν sunt apud Homerum, passiva praeter hanc nulla. cf. ad v. 62.

De versibus qui iam sequuntur cf. indicem. Vv. 130—132 delerunt Alexandrini, qui de eiusmodi rebus ex suis ipsorum moribus non ex heroicae aetatis ingenio videntur iudicasse. Quorum sententiam refellit Köchly ***).

143—187. Iris mittitur Troiam Priamo regi denuntiatura, ut Hectorem redimat, Mercurium itineris fore ducem et comitem. Iris Priamo quem gravissimo moerore afflictum humi iacentem offendit, Jovis mandata exponit.

160 ἐς Πριάμοιο, 309 ἐς Ἀχιλῆος, 482 ἀνδρὸς ἐς ἀφνειοῦ ter haec ellipsis, frequentissima postea, in hac rh. Unum exemplum apud H. satis frequens εἰν Ἄιδος, εἰν Ἀΐδαο, εἰς Ἀΐδαο. Praeterea in Iliade, nisi fallor, duo exempla Z 378. 9 ἠέ πῃ ἐς γαλόων ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων ἢ ἐς Ἀθηναίης ἐξέρχεται cf. vv. 383. 4. et in eodem carmine 47 πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται. Plura eius rei exempla in Od. β 195 ἐς πατρός, ϑ 418 ἐς Ἀντινόοιο, κ 282 ἐνὶ Κίρκης, λ 414 = Z 74, ν. 23 εἰς Ἀλκινόοιο, σ 299 εἰς Πεισάνδροιο †).

160 sqq. Luctum squaloremque, quem in Priami regia fuisse eo tempore consentaneum est hic poeta, id quod vulgo ab imitatoribus fieri videmus, nonne videtur nimis auxisse atque exornasse?

173—175 ut iam supra (133—144) initium rhapsodiae B nobis venit in mentem, ubi Jupiter Somnium mittit ad Agamemnonem, summum illum Graecorum, qui ad Troiam profecti erant, ducem, sic h. quoque l. eosdem fere habes versus, quos illo loco deus Somniorum profert. cf. B 26—28. Quibus de versibus Aristarchus quidem iudicat ὅτι ἐνταῦθα ὑγιῶς λέγεται, ἐκεῖ δὲ κακῶς ὑπὸ τοῦ Ὀνείρου πρὸς τὸν Ἀγαμέμνονα ††), at in rh. B hi versus optime quadrant iisque nulla ratione possumus carere; mihi ut multos alios sic hos quoque versus hic non ipse fecisse sed aliunde videtur deprompsisse. Idem erit statuendum de alio loco, qui est paulo infra 220. 222. 223. Priamus ibi iisdem fere utitur versibus, quibus in rh. B (80 sqq.) Nestor Agamemnonem alloquitur. Ubi

*) p. 389.

**) p. 12. V. 116 schleppt ganz unbehülflich nach und enthält einen Zeus' unwürdigen Zweifel.

***) p. 12. Denn es versteht sich von selbst, dass wir uns von der auch sonst zuweilen vorkommenden Pruderie der Alexandriner die charakteristischen und durch v. 675 f. geforderten Verse 130—132 nicht rauben lassen.

†) cf. Krüger poet. dial. Synt. § 68,21,2.

††) ad Ω 174.

similem quandam rem iam esse narratam noster meminit, seu ingenio suo diffisus seu pravo imitandi studio ductus sibi temperare non potest, quin alienos versus usurpet.

188—330. Quo nuntio audito Priamus extemplo filios currum iungere iubet, ipse cum Hecuba uxore, quae Jupiter ei nuntiaverat, communicat. Hecuba iter summopere dissuadet, at Priamus Jovis auxilio atque promisso fretus in consilio perseverat; dona quae Achilli offerat, eligit, Troianos ex aula regiae eiicit, filios vehementer increpat. Currus iunguntur, Hecuba suadente Jovi libat Priamus, ab eoque augurium, quod petit, accipit. Quo facto cum Idaeo caduceatore, qui plaustro mulis iuncto dona pretiosissima vehit, magna Troianorum multitudine usque ad planitiem comitati ad Achivorum castra proficiscuntur.

195. 6. non satis apte iidem versus iam quartum in eodem carmine occurrunt cf. 118.9, 146.7; 175.6.

197 *ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπέ, καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον*, qui versus in Od. est frequentissimus (*α* 169, 206, 224, *δ* 486, *θ* 572, *λ* 140, 170, 370, 457, *ο* 383, *π* 137, *ω* 256, 286. In Iliade rarissime usurpatur, nisi fallor quater *K* 384, 405, *Ω* 386, 656 id est in illis rhapsodiis, quae aliis quoque de causis sunt suspectae. Erant autem apud vetustiores illos poetas in usu formulae quaedam, quaedam verborum coniunctiones, quibus in carminibus et pangendis et memoriae mandandis valde videntur fuisse adiuti. Quae formulae ab antiquissimis poetis constantissime atque diligentissime sunt servatae; postea demum eam vel libertatem vel licentiam adepti sunt poëtae, ut iis has formulas negligere liceret. Cuius rei unum mihi liceat afferre exemplum. Nusquam invenies apud H. verba *πρόπαν ἦμαρ*, quin statim sequantur *ἐς ἠέλιον καταδύντα*, id quod neglectum est in altera ista necyia *ω* 41. Nusquam fere invenies verba *ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπέ*, quin continuo sequantur illa notissima *καὶ ἀτρεκέως κατάλεξον*. A quo usu bis tantum est recessum, nempe h. l. et *Λ* 819 *ἀλλ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ διοτρεφὲς Εὐρύπυλ' ἥρως* cf. hy. Merc. 438 *νῦν δ' ἄγε μοι τόδε εἰπὲ πολύτροπε Μαιάδος υἱέ*. Unde quid sit concludendum, non difficile sit intellectu.

208 Köchly versibus quatuor omissis legendum esse censet hunc locum sic *):

208 *οὐδέ τί σ' αἰδέσεταί* || *τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι* 212. Mihi quidem ex hoc quoque loco posterior, quo erat hic poeta, aetas intelligi posse videtur. Lege, quaeso, v. 209: *τῷ δ' ὥς ποθι μοῖρα κραταιὴ* || *γιγνομένῳ ἐπένησε λίνῳ ὅτε μιν τέκον αὐτή*. cf. Schol. *A*. *ἡ διπλῆ ὅτι ἐνταῦθα καλῶς, ἐπὶ δὲ Ἀχιλλέως ἐν τῇ Υ* (128) *οὐκέτι* atque in rh. *Υ* Alexandrini eos versus delendos esse statuerunt. Similis versus est in Od. *η* 198 *ἅσσα οἱ αἶσα κατά κλῶθές τε βαρεῖαι* || *γιγνομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ*.

Quorsum igitur haec? Quia mea quidem suspicio his quos attuli versibus excitatur. Contendo non novisse Iliadis antiquiores poëtas deos vel potius deas, quae postea Odysseae hesiodeorumque carminum aetate *fila nentes* hominum fata sortesque efficere atque constituere credebantur, non convenire illas Parcas fila et nentes et abrumpentes Iliadi, hac quoque in re ut in multis aliis hunc poëtam ab iis, qui ceteras Iliadis rhapsodias pepigerunt, discrepare. Neque, id quod qui unum Iliadis Odysseaeque poetam fuisse statuunt, vulgo facere solent, h. l. licebit affirmare, forte fortuna esse factum ut in Iliade dearum illarum nentium mentio non fieret, nam persaepe eas commemorandi erat opportunites atque adeo necessitas. Verbum quoque quod in hac re usurpari solet *ἐπικλώθω* in Iliade non invenies, uno excepto loco, quo mea opinio adeo non infringitur ut comprobetur, est enim in ipsa hac rh. 525 *ὡς γὰρ ἐπεκλώσαντο θεοὶ δειλοῖσι βροτοῖσιν*. Saepius con-

*) p. 13. 208—212 enthalten gar zu viel des Anstössigen im Ausdruck und Sinn. Das *νῦν δὲ κλαίωμεν ἄνευθεν* ist streng genommen Unsinn. Die fast ganz entlehnte Sentenz *τῷ δ' ὥς ποθι — κρατερῷ* ward mit Recht von einigen Alten als ein *λόγος ἀπρεπής* gescholten und mühselig vertheidigt, im Munde der Mutter ist sie eine Unmöglichkeit u. s. w.

tra h. v. in Od. habes: π 64 ἐπέκλωσεν τάδε δαίμων, ἐπέκλωσαν vel ἐπεκλώσαντο θεοί α 17, γ 208, θ 579, λ 139, υ 196, porro δ 208, ᾧτε Κρονίων ‖ ὄλβον ἐπικλώσῃ γαμέοντί τε γεινομένῳ τε. At in Iliade quid simile? Cf. quae de v. 49 disputavi.

220—222. cf. quae ad v. 173. sqq. diximus. 224 οὐχ ἅλιον ἔπος ἔσσεται haec verba h. l. sine dubio minus apta quam supra (92) quo loco Thetis se Jovis dicto esse obtemperaturam affirmat.

238 sqq. Mihi non silentio praetereundum esse videtur in h. rh. nulla iusta oblata causa homines deosque induci inter se rixantes et increpantes et obiurgantes. Veluti iam supra, ut v. 33 omittamus, Juno invehitur in Apollinem verbis κακῶν ἕταρ' αἰὲν ἄπιστε, ubi qua re Apollo fidem violaverit, difficile forsitan sit ad diiudicandum. Jam vero Priamus, qui alias senex esse videtur mitissimus atque facillimus, turpissimis conviciis Troianos, qui de Hectoris scilicet morte querentes et lamentantes, ut suis, opinor, lacrimis atque doloribus patris moerorem acerbissimum lenirent, in regiam convenerant, ἔπεσσ' αἰσχροῖσιν ἐνίσσων depellit. Quos ubi fuste ex porta eiecit, filios, quos currum parare iusserat quique operi erant intenti, inanibus prorsus atque futilibus criminationibus onerat. Quae res veteres non fugit cf. Sch. B M ad v. 247 νῦν δὲ τὸ πένθος δύσκολον αὐτὸν ἐποίησεν ἀπειρηκότα τοῦ ζῆν et ad v. 249: οἰκεῖον μὲν τῷ πάθει τὸ δυσχεραίνειν πρὸς πάντας. Mihi hoc non tam ex moribus Priami quam ex huius poëtae ingenio videtur esse repetendum, qui eiusmodi rebus audientium animos cum voluptate quadam commoveri putabat. Quamquam de eiusmodi rebus in maxime contrarias partes posse iudicari et supra contendi et iam opportunitate oblata demonstrabo. Nam eundem h. locum, qui mihi minus placet, H. Düntzerus et A. Köchly summis laudibus ornarunt. Atque ille *) quidem summo artificio h. l. naturam ingeniumque humanum effictum affirmat, hic **) vero vere regiam indolem regiosque mores praeclarissime esse depictos sibi persuasit. Profecto facile esset regis partis agere!

249 Schol. B. M. λεληθότως δὲ Ὅμηρος κατάλογον ποιεῖται τῶν ἔτι τῷ Πριάμῳ ὑπολειφθέντων παίδων. Novem enim h. l. nominantur Priami filii, qui in curru iungendo (nam plaustri nondum mentio est facta) occupati fuisse existimandi sunt omnes. Miror Alexandrinos, qui satis bene quem Ἡσιόδειον vocabant χαρακτῆρα quibusdam locis agnoverant, eundem non h. quoque loco deprehendisse. Sine iusta causa nomina tantum novem afferuntur filiorum, inter quos sunt, de quibus per totam Iliadem nihil est narratum, nihil igitur de iis refertur, nisi quod h. l. currum parant. Nam de Agathone, Pammone, Antiphone, Hippothoo, Dio nihil apud Homerum, nosterque ea Priamidarum nomina, aut ipse finxisse aut ex aliquo cyclico poëta sumpsisse putandus est. Mestor vero et Troilus, qui infra commemorantur (257), quos iam ante Hectoris necem mortem occubuisse ex h. tantum Iliadis loco cognoscimus, nonne item ad cyclicos eorumque carmina, quibus Troili laudes maximopere celebratas fuisse constat, referendos esse statuemus?

---

*) p. 896. Auch seine Söhne müssen von diesem Unwillen leiden, denn der Schmerz pflegt ungerecht zu machen. — Diese ungerechte Heftigkeit scheint uns der Dichter auf treffliche Weise dargestellt zu haben. Das Gefühl seines tiefen Unglücks, in welchem er selbstquälerisch alles, was ihm geblieben herabwürdigt, ist der Mittelpunkt aller seiner Aeusserungen.

**) Die Vorbereitungen zur Abfahrt geben dem gestrengen alten Herrn seine ganze Energie wieder. Das ist nicht der weichmüthige Greis aus der Mauerschau, welcher für die schöne Sünderin nur beschwichtigende Worte des milden Trostes hat und dem Zweikampf des frevelhaften Sohnes nicht zuzuschauen wagt. Hier ist „jeder Zoll ein König", vor welchem Unterthanen wie Söhne beben, selbst wenn die barschen Worte, in welche sein leidenschaftlicher Schmerz um die Verlornen sich austobt, nicht ganz gerecht sind! Wie das Volk scheu vor seinem drohenden Stabe aus einander stiebt, so rüsten die hart gescholtenen Söhne in stummem Gehorsam Wagen und Gespann.

Post v. 278 Köchly aliquot versus intercidisse censet *). Mihi totam rem hic minus perspicue enarrasse videtur. Si respexeris vv. 148—152 (177—180) dubitabis, utrum de plaustro an de plaustro et curru cogitet poëta, in v. 189 iubentur filii ἄμαξαν ἐύτροχον ἡμιονείην ὁπλίσαι, ne eo quidem loco, ubi opus erat, nisi ibi quoque lacunam statuemus, alterius currus fit mentio, denuo 263, 265, 275 unum plaustrum commemoratur, at in v. 279 equi commemorantur atque omnibus locis deinde duo invenimus vehicula.

304 τὼ μέν ζευγνύσθην. Schol. B. ζευγνύναι προσέτασσον., Faesi: sie waren eben am Anspannen. Mihi haec verba obscuriora esse videntur.

Versuum qui sequuntur multi vel toti vel partes eorum alibi leguntur; indicem si placet evolve.

304 (ἡ δὲ παρέστη) χέρνιβον **) ἀμφίπολος πρόχοόν ϑ'ἅμα χερσὶν ἔχουσα. Eiectus est hic versus ab Aristarcho propter vocabulum χέρνιβον, quod ab homerici sermonis usu, quem ille diligentissime atque acutissime observaverat, alienum esse contendit rectissime. Etenim apud Homerum χέρνιβα esse aquam, quae supra manus effundatur, vas autem supra quod effundatur non nominari ut h. l. χέρνιβον, nominari λέβητα. Mirum hunc poëtam novi aliquid quaesivisse neque esse usum versu illo Odysseae frequentissimo χέρνιβα δ'ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα. Nam h. versu nos carere non posse recte contendit Köchly. Quae res si aliter sese haberet, iam dudum sine dubio esset remotus. Düntzerus hunc versum ab Aristarcho vituperatum atque deletum, unde ego ut ex multis aliis rebus hanc rh. recentiore aetate esse compositam coniiciendum esse existimo, defendere conatur ***). In Massaliotica enim sch. N. h. versum lectum esse aliter refert ἡ Μασσαλιωτικὴ ταμίη μετὰ χερσὶν ἔχουσα διὰ τὸ μὴ εἰρῆσθαι νῦν συνήϑως αὐτῷ ἐπὶ τῶν ὑδάτων ἀλλ' ἐπὶ τοῦ σκεύους τὰ χέρνιβα. εἰ μὴ ἄρα ἐνικῶς ἐνϑάδε γραπτέον χέρνιβον ἀμφίπολος. Scriptum igitur fuisse in Massaliotica hunc versum sic: χέρνιβα ἀμφίπολος ταμίη μετὰ χερσὶν ἔχουσα, ut hiatus vitaretur postea censet esse scriptum χέρνιβον. At quaeso quis ut hiatum fugiat, novum excogitat vocabulum! Deinde fugit Düntzerum rem contra esse posse ac statuit. Quid? si poëta scripsit χέρνιβον, doctior autem aliqui seu poëta seu rhapsodus ea fortasse aetate, qua carmina homerica iam litteris mandari coepta sunt, quum non ignoraret χέρνιβα apud Homerum esse aquam, λέβητα vas, locum correxit, correctus in Massalioticam receptus est? Ut autem res sese ita habeat ut Düntzerus opinatur, nonne mirum ancillam narrari χέρνιβα aquam manibus tenere nullo vocabulo quo vas significetur adiecto? Quantum haec ab usu homerico recedunt! Quid multa? utcunque rem explicabis ab homerici sermonis consuetudine h. l. abhorrere negare non poteris.

331—469. Ubi Jupiter Priamum et praeconem iam per planitiem vehi animadvertit, Mercurium filium cohortatur, ut eos usque ad naves prosequatur Achivorum. Cuius dicto obtemperans Mercurius similis adolescenti Priamo Ili tumulum praetervecto, quum sub vesperam equos, ex fluvio ut biberent retinuisset, occurrit. Senes ambo contremiscunt, Mercurius eos benigne alloquitur Hectorisque laudibus celebratis se quendam ex Myrmidonibus esse professus ad Achillem sese eos perducturum esse promittit. Dona a Priamo oblata repudiat. Custodes qui in turribus atque ad fossam sunt dispositi consopit. Quo facto perveniunt ad Achillis tentorium, unde Mercurius se deum esse confessus ad Olympum redit.

---

*) p. 13. Da haben wir zunächst die Rüstung des mit Maulthieren bespannten Lastwagens (ἄμαξα, ἀπήνη) in zwei dreizeiligen (265—270) und zwei vierzeiligen Strophen (271—278). Dann ist aber offenbar eine Lücke, ungewiss von wie viel Versen: der mit Rossen bespannte Prachtwagen des Priamos musste hier ausdrücklich erwähnt werden.

**) p. 13. Die Athetese von 304 wegen des sonst ungebräuchlichen χέρνιβον können wir nicht annehmen, das ἡ δὲ παρέστη wäre auch gar zu nichtssagend.

***) p. 398.

Tantum abest ut in hac rh. omnia esse male instituta contendam, ut quaedam esse pulcherrime facta et ficta libentissime concedam. Ego quoque libere profiteor nihil fere praeclarius atque pulchrius fingi potuisse, quam Priamum senem, gravissimo atque vehementissimo moerore afflictum intrare tentorium Achillis, qui ipsius filium carissimum et fortissimum Hectorem interfecit, eique supplicare manusque illas exosculari δεινὰς ἀνδροφόνους (479) et mentum ἀνδρὸς παιδοφόνοιο (506) attingere et filii corpus donis oblatis pretiosissimis accipere. At multa niteant licet, neque verebimur periculum quod ex eiusmodi quaestionibus sanae menti integroque iudicio imminere affirmavit Düntzerus *), acerrimus huius rh. propugnator neque silentio praetermittemus multa sordere atque jacere, multa ab homerica dicendi consuetudine mirum quantum recedere, multa narrari, quae antiquiores poetae nondum novisse videantur, tam multos versus et ex Iliade et ex Odyssea esse depromptos, ut in nulla fere Iliadis parte maiorem invenias numerum, quosdam vero tam inepte atque absurde esse usurpatos, ut furtum sponte appareat, utque panni ex aliena quasi veste abrepti ad eam quam ipse fecit ut ita dicam adsuti minime quadrent. Cuius rei exempla inveniemus luculentissima.

Jam vero Jupiter alloquitur Mercurium filium 334: Ἑρμεία σοὶ γάρ τε μάλιστά γε φίλτατόν ἐστι, || ἀνδρὶ ἑταιρίσσαι καί τ' ἔκλυες ᾧ κ' ἐθέλησθα. Mercurius igitur si Jovi fidem habemus (eumque falsa dicere non convenit) animo laetissimo hominibus comitem sese adiungit atque id quidem h. l. ut res apertissima atque notissima proponitur. At si rem accuratius consideraveris, nullum in Iliade huius benigni atque misericordis erga homines animi reperies exemplum. Quid quod in Odyssea, in quo carmine iam nuntius Jovis esse videtur, adeo non eiusmodi officia praestando delectatur, ut Calypsoni nymphae affirmet nunquam se sua sponte tantum iter ingressurum fuisse. In Iliade deorum nuntia est Iris, quae in Odyssea nusquam commemoratur, contra in Od. Jovis mandata perfert Mercurius, ab Hesiodo jam praeco **) vocatur deorum. Quae difficultas Alexandrinos non fugit, at quam protulerunt λύσιν, mihi non probarunt ***).

338 Πηλείωνάδ' ἱκέσθαι. Particulam encliticam δε cum accusativo substantivorum coniunctam saepissime in carminibus hom. esse usurpatam nemo ignorat. Cui non veniunt in mentem πεδίονδε, οἶκονδε, δόμονδε, μέγαρόνδε, πόλινδε, φόωσδε, βουλυτόνδε, τέλοσδε, θάνατόνδε, φόβονδε alia sexcenta, quae enumerare infinitum est, at cum eiusmodi vocabulo particulam δε quis unquam coniunxit?

Versus qui iam sequuntur maximam partem ex Od. depromti. cf. ind. Köchly delet vv. 340—342, retinet 343. 4 quos vv. ex Od. removendos esse censet †.

351 δὴ γὰρ καὶ ἐπὶ κνέφας ἤλυθε γαῖαν. Particulam γαρ posuisse videtur poëta, ut explicaret, qua de causa iam equos mulosque ex fluvio sitim faceret explentes; quae res quosdam veteres grammaticos videtur offendisse ††). In una vero re hom. sermonis usum neglexit; etenim saepe

---

*) p. 421. Es ist immer ein leidiges Geschäft überall Verkehrtes und Verfehltes aufspüren zu wollen, aber an einem so edeln, reinen und in seiner Naturwahrheit unübertrefflichen Dichterwerke, wie das letzte Buch der Ilias ist, diese Kritik auszuüben ist auch gefährlich für den gesunden Sinn und ein reines Urtheil.

**) Theog. 939 κύδιμον Ἑρμῆν κήρυκ' ἀθανάτων.

***) cf. Otfr. Müller. Proleg. einer wiss. Myth. p. 355. Es ist nicht zu verkennen, dass der Begriff dieses Gottes in der Il. noch überaus schwankend ist, er heisst der Segensreiche (ἐριούνιος), der Geber des Guten, der starke Argoswürger, der kräftige (σῶκος), auch werden ihm schlaue Werke beigelegt, aber eigentlich Diener und Bote des Zeus, der beständige Besteller seiner Befehle ist er erst *im später gedichteten letzten Buch der Il.* und durch die ganze Od, da das vieldeutige Beiwort διάκτορος (Il. XXI, 497) schwerlich einen Schluss rechtfertigt. Aliter iudicavit C. Fr. Naegelsbach hom. Theol. II ed. p. 156. Hermes aber, der anstellige Gott, der Geber der δρηστοσύνη wird wie schon bemerkt regelmässig zu solchen Botschaften gebraucht, bei denen zugleich mit Geschick und Klugheit etwas auszuführen oder zu bestellen ist. cf. p. 112.

†) p. 14 cf. Naegelsb. hom. Theol. II ed. p. 112.

††) B. M. ad 350 διὰ γὰρ τὸ πένθος τοῖς κτήνεσιν οἴκοι ποτὸν οὐκ ἐδίδοσαν.

quidem invenies apud H. verba ἐπὶ κνέφας ἦλθεν (ἐλθεῖν, ἔλθῃ), nusquam autem adiicitur accusativus γαῖαν.

352 ἐξ ἀγχιμόλοιο. ἀγχίμολον apud Homerum nunquam non adverbium est.

In v. 360 mihi non satis liquet, quid significet αὐτός.

368. 9. Imitatur locum quendam, qui est in Od. π 72. 73 ἦε νεώτερός εἰμι καὶ οὔπω χερσὶ πέποιθα ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. Neminem fugiet eo quem modo attulimus loco Odysseae constructionem quam vocant verborum esse facilem atque expeditam, hoc loco impeditam atque duriusculam *).

370 ἀλλ' ἐγὼ οὐδέν σε ῥέξω κακά, καὶ δέ κεν ἄλλον Schol. κακά. γράφεται κακὸν A. Nonne mirum h. l. esse usurpatum pluralem κακά? non multo melius res sese videtur habere loco illo, qui nostro sine dubio obversabatur, σ 15: δαιμονὶ οὔτε τι σε ῥέζω κακὸν οὔτ' ἀγορεύω. Hoc loco metri causa parum apte videtur singularem mutasse.

380 cf. ad v. 197.

381. 2. Non possum non mirari Mercurium, deum illum callidissimum quaerere tam inepte ex Priamo, num urbe relicta ipse cum opibus fugiat. An in castra Graecorum, quod iter certe iam ingressus erat? **)

V. 385 potest quidem intelligi sed sententiam obscurius parumque perspicue esse expressam nemo negabit. cf. Faesi.

390 πειρᾷ ἐμεῖο. πειρώμενος ἐρωτᾷς περὶ Ἕκτορος B M V. Quae explicatio ut vera sit, neque aliter poterit locus explicari, multo aptius eadem verba in v. 433 esse posita satis liquet.

401 sqq. Quae hic narrantur, ea non satis scite videntur esse ficta. Nunc veni, inquit Mercurius, in planitiem, cras enim circa urbem pugnam committent Achivi, nam aegre ferunt desidiam neque reges eorum impetum bellique ardorem possunt retinere. Mira narrat! Quia postero die ab Achivis pugnabitur, ea de causa hic Myrmido in planitiem prodit. Cedo, qua de causa? Deinde quae narrat de studio illo pugnandi acerrimo, quo Achivos inflammatos esse dicit! si res ita se habet, qui fieri potest, ut Achilles qui summus dux non est, media nimirum nocte iam praeterita Priamo multorum dierum concedat inducias? Num haec apte atque prudenter esse instituta contendes?

415 ἔσθουσ'. formas verbi ἔσθειν habes in Il. Ω 213, 476, Θ 231, saepius in Od., Hes. Opp. 278. 306, 746.

Miror H. Düntzerum postremae Iliadis rhapsodiae defensorem acerrimum quibusdam rebus, quae mihi haud ita magni momenti esse videntur offensum, h. l. viam rationemque iniisse audaciorem ***). Putat enim responsum illud Mercurii sic fuisse institutum. Vv. 411 412, 413, αὔτως, 414 κειμένῳ ita ut, quae intercedunt inter αὔτως et κειμένῳ deleat, vv. 416—421 eiiciat. Mihi quidem argumentis quae attulit non persuasit ut ei esse assentiendum censerem. Non fuisse opus contendit h. l. commemorare Hectoris corpus iam duodecim dies iacere inhumatum, quum Priamus ipse non ignoret, quo die ipsius filius occisus sit. Cui respondendum forsitan sit: neminem quidem esse negaturum eam rem Priamo esse notam, nihilo autem minus Mercurium h. l. aptissime ipsum dierum numerum indicare, ut miraculum illud quo Hectoris corpus per tot dies integrum atque incolume servetur etiam magis perspiciatur, ut intelligat senex ille miserrimus Hectorem filium piissimum vel mortuum diis esse curae. Deinde Düntzerus opinatur verba ἐν κλισίῃσι (413) redundare.

---

*) cf. Friedländer anal. hom p. 480.

**) Hanc difficultatem Düntzerus non removit. p. 403.

***) p. 404 sq.

quum paulo supra praecederent vv. *παρὰ νηί*, praeterea scribendum fuisse *ἐν κλισίῃ*. Cetera quae affert praetereo, sunt enim repetita ex aesthetica mihique de iis aliter sentiendum esse videtur, velut vv. 416—421 idcirco esse eiiciendos, quia non conveniret h. l. commemorare Hectoris corpus tam turpiter esse tractatum, qua re Priami dolorem etiam augeri. Illud miror quod offenditur vv. *ἐν κλισίῃσι*, quae tam saepe de uno usurpantur tentorio, ut eius rei colligere exempla vix opus esse videatur. cf. *B* 227. 778, *H* 313, *I* 263, *Λ* 7. 834, *M* 1 alibi.

446 sqq. Saepissime in Iliade tentoria principum Achivorum commemorantur, nusquam autem describuntur accuratius, nusquam fere habent epitheton ut 449 (*κλισίην*) *ὑψηλήν*. *), nusquam mentio fit aulae, quae palis multis h. l. circumdata esse videtur, nusquam *ἐπιβλὴς εἰλάτινος*, quo aulae porta clauditur, invenitur. Nonne apparet antiquiorem quemlibet poëtam Achillis tentorium accuratius descripturum non fuisse? Adde quod in Iliade plus semel alii quoque Achivi Achillem adeunt, praecones in rh. *A*, legati illi in rh. *I*, Patroclus quoque in Achillis tentorium intrat sine ea difficultate, quam illum *ἐπιβλῆτα*, quem tres homines vix removere posse fingit, iis praebiturum fuisse consentaneum est.

H. Düntzerus ut omnes maculas, quae in hac rh. inesse viderentur, detergeret (omnes autem nullo modo detergere poterat) vv. 464—7 delendos esse censet **). Qua in re non videtur vidisse respondere inter se v. 462 *ἀλλ' ἤτοι μὲν ἐγὼν πάλιν εἴσομαι* et v. 465 *τύνη δ' εἰσελθὼν λαβὲ γούνατα Πηλείωνος*. Admonetur h. l. a Mercurio Priamus, ut obtestetur Achillem per patrem per matrem perque filium, id quod Priamus, qui patris tantum Achillem admonuit, facere negligit. Porro h. l. filius Achillis commemoratur, cuius necessario Düntzerus contendit Achillem fuisse admonendum, si quidem poëta Achilli esse filium statuisset. Mentio fit filii etiam alio quodam loco *T* 326 sqq, quem quidem locum Düntzerus non sine iusta causa in suspicionem vocat. Nusquam enim commemoratur ille filius et saepius poterat fieri, immo vero ex quibusdam locis contra poterimus coniicere Achillem nondum mulierem duxisse. Velut in rh. I se Achilli filiam cum multis donis in matrimonium esse daturum promittit, quam quidem conditionem ille repudiat. At qui hanc ei conditionem poterat offerre summus ille Graecorum dux, si Achilles iam iusto matrimonio cum alia muliere fuisset coniunctus? Atque Patroclo occiso queritur Briseis de nece Patrocli qui *μ' ἔφασχες Ἀχιλλῆος θείοιο* ‖ *κουριδίην θήσειν ἄλοχον, ἄξειν τ' ἐνὶ νηυσίν* ‖ *ἐς Φθίην, δαίσειν τε γάμον μετὰ Μυρμιδόνεσσιν* (*T* 297—9). Aliter res se habere videtur in Odyssea, quam qui pepigerunt Achillis filium, a cyclicis postea summis laudibus ornatum noverunt (*γ* 189, *δ* 5—9, *λ* 492 sqq., 509 sqq.) ibique iam Scyrus insula commemoratur, unde Achille mortuo Ulixes Neoptolemum arcessivisse perhibetur. Quibus rebus bene intellectis Düntzerus, qui omnia quae posterioris esse aetatis videntur eiicit, hos quoque versus delendos esse censuit. Qua de re me aliter iudicare iam identidem dixi. Non delenda sunt illa recentioris originis vestigia, quae ante Alexandrinos aliquanto plura fuisse existimo, multis iisque audacissimis athetesibus, laetandum potius remansisse, unde de tempore huius rh. satis certum ferre liceat iudicium. Revoca si placet in animum furtum Mercurii, Paridis iudicium, Troilum, Nioben, Cassandram neve his locis omnibus remotis rhapsodiam ab omnibus naevis liberatam te habere putaveris.

Jam vero fac mecum perpendas rem quandam gravissimam, scilicet quam inepte atque absurde (noli putare me rem augere) hic poëta aliis versibus utatur; qua in re multa commisit vitia,

*) excipe I 663 *μυχῷ κλισίης εὐπήκτου* = *Ω* 675; *K* 566 *κλισίην εὔτυκτον ἵκανε*, *N* 240 *κλ. εὔτυκτον ἵκανε.*, nam *κλισίας τε κατηρεφέας* est in Scuto illo Achillis. *Σ* 589.

**) p. 406 sq. Aliter iudicavit Welckerus ep. Cycl. II 422, Dass Priamos nachher nicht wirklich auch bei der Mutter und dem Kinde fleht, ist kein so grosses *ἄλογον* als man sich vorstellt. Der Antrag anzuflehen ist in eine allgemeine, vielleicht übliche Formel gekleidet.

[illegible]

278. [illegible]

[illegible] commemorare [illegible] jam [illegible] ipse non [illegible], quo [illegible] occasus sit. [illegible] esse negaturum eam rem Priamo esse notam, [illegible] dierum numerum indicare, ut miraculum illud [illegible] columne servetur etiam magis perspiciatur, ut [illegible] mum vel mortuum diu esse curae. Deinde Düntzerus ejiciatur verba [illegible]

*) cf. Friedländer anal. hom. p. 480.

**) Hanc difficultatem Düntzerus non removit. p. 408.

***) p. 404 sq.

quum paulo supra praecederent vv. *παρὰ νηί*, praeterea scribendum fuisse *ἐν κλισίῃ*. Cetera quae affert praetereo, sunt enim repetita ex aesthetica mihique de iis aliter sentiendum esse videtur, velut vv. 416—421 idcirco esse eiiciendos, quia non conveniret h. l. commemorare Hectoris corpus tam turpiter esse tractatum, qua re Priami dolorem etiam augeri. Illud miror quod offenditur vv. *ἐν κλισίῃσι*, quae tam saepe de uno usurpantur tentorio, ut eius rei colligere exempla vix opus esse videatur. cf. *B* 227. 778, *H* 313, *I* 263, *A* 7. 834, *M* 1 alibi.

446 sqq. Saepissime in Iliade tentoria principum Achivorum commemorantur, nusquam autem describuntur accuratius, nusquam fere habent epitheton ut 449 (*κλισίην*) *ὑψηλήν*. *), nusquam mentio fit aulae, quae palis multis h. l. circumdata esse videtur, nusquam *ἐπιβλὴς ἐλάτινος*, quo aulae porta clauditur, invenitur. Nonne apparet antiquiorem quemlibet poëtam Achillis tentorium accuratius descripturum non fuisse? Adde quod in Iliade plus semel alii quoque Achivi Achillem adeunt, praecones in rh. *A*, legati illi in rh. *I*, Patroclus quoque in Achillis tentorium intrat sine ea difficultate, quam illum *ἐπιβλῆτα*, quem tres homines vix removere posse fingit, iis praebiturum fuisse consentaneum est.

H. Düntzerus ut omnes maculas, quae in hac rh. inesse viderentur, detergeret (omnes autem nullo modo detergere poterat) vv. 464—7 delendos esse censet **). Qua in re non videtur vidisse respondere inter se v. 462 *ἀλλ' ἤτοι μὲν ἐγὼν πάλιν εἴσομαι* et v. 465 *τύνη δ' εἰσελθὼν λαβὲ γούνατα Πηλεΐωνος*. Admonetur h. l. a Mercurio Priamus, ut obtestetur Achillem per patrem per matrem perque filium, id quod Priamus, qui patris tantum Achillem admonuit, facere negligit. Porro h. l. filius Achillis commemoratur, cuius necessario Düntzerus contendit Achillem fuisse admonendum, si quidem poëta Achilli esse filium statuisset. Mentio fit filii etiam alio quodam loco *T* 326 sqq, quem quidem locum Düntzerus non sine iusta causa in suspicionem vocat. Nusquam enim commemoratur ille filius et saepius poterat fieri, immo vero ex quibusdam locis contra poterimus coniicere Achillem nondum mulierem duxisse. Velut in rh. I se Achilli filiam cum multis donis in matrimonium esse daturum promittit, quam quidem conditionem ille repudiat. At qui hanc ei conditionem poterat offerre summus ille Graecorum dux, si Achilles iam iusto matrimonio cum alia muliere fuisset coniunctus? Atque Patroclo occiso queritur Briseis de nece Patrocli qui *μ' ἔφασκες Ἀχιλλῆος θείοιο ‖ κουριδίην θήσειν ἄλοχον, ἄξειν τ' ἐνὶ νηυσίν ‖ ἐς Φθίην, δαίσειν τε γάμον μετὰ Μυρμιδόνεσσιν* (*T* 297—9). Aliter res se habere videtur in Odyssea, quam qui pepigerunt Achillis filium, a cyclicis postea summis laudibus ornatum noverunt (*γ* 189, *δ* 5—9, *λ* 492 sqq., 509 sqq.) ibique iam Scyrus insula commemoratur, unde Achille mortuo Ulixes Neoptolemum arcessivisse perhibetur. Quibus rebus bene intellectis Düntzerus, qui omnia quae posterioris esse aetatis videntur eiicit, hos quoque versus delendos esse censuit. Qua de re me aliter iudicare iam identidem dixi. Non delenda sunt illa recentioris originis vestigia, quae ante Alexandrinos aliquanto plura fuisse existimo, multis iisque audacissimis athetesibus, laetandum potius remansisse, unde de tempore huius rh. satis certum ferre liceat iudicium. Revoca si placet in animum furtum Mercurii, Paridis iudicium, Troilum, Nioben, Cassandram neve his locis omnibus remotis rhapsodiam ab omnibus naevis liberatam te habere putaveris.

Jam vero fac mecum perpendas rem quandam gravissimam, scilicet quam inepte atque absurde (noli putare me rem augere) hic poëta aliis versibus utatur; qua in re multa commisit vitia,

---

*) excipe I 663 *μυχῷ κλισίης εὐπήκτου* = *Ω* 675; *K* 566 *κλισίην εὔτυκτον ἵκανε*, *N* 240 *κλ. εὔτυκτον ἵκανε.*, nam *κλισίας τε κατηρεφέας* est in Scuto illo Achillis. *Σ* 589.

**) p. 406 sq. Aliter iudicavit Welckerus ep. Cycl. II 422, Dass Priamos nachher nicht wirklich auch bei der Mutter und dem Kinde fleht, ist kein so grosses *ἄλογον* als man sich vorstellt. Der Antrag anzuflehen ist in eine allgemeine, vielleicht übliche Formel gekleidet.

quibus ne audacissimis quidem athetesibus haec rhapsodia poterit purgari. Etenim qui postea fuerunt poëtae haud raro versus antiquiorum carminum suos fecerunt, neque id vituperandum esse arbitror, dummodo prudenter in ea re agant sanumque adhibeant iudicium (in quibusdam rebus varietatem quaerere ineptum forsitan atque futile sit). Velut si in rh. *Ψ* v. 58 *οἱ μὲν κακκείοντες ἔβαν κλισίηνδε ἕκαστος* repetitus est ex *A* 606 (*οἶκόνδε*), non vituperandus est poëta, quod eodem utebatur versu, prudenter egit quod bene intelligens *οἶκόνδε* non in eum locum, ubi de tentoriis ageretur, quadrare versum mutavit. Prudenter hic de quo agimus *Ω* 442 usus est versu, qui est *P* 456. At interdum isti poëtae pravissimo atque prorsus perverso imitandi studio ducti nimiaque alienos versus suos faciendi cupiditate occaecati, tam imprudenter egerunt, ut foedissime laberentur suisque ipsorum laqueis irretiti tenerentur. Quod ne temere leviterque videar contendisse, lege si placet *ω* 408 quo de versu iam alio loco egimus *), vide ad quaenam artificia editores confugiant, ut versum illum explicent. Repetitus est ex *ρ* 602, ubi omnia bene se habent; in rh. *ω* autem nullo modo explicari poterit.

At raro tam leviter tamque inconsiderate posteriores illos poetas egisse consentaneum est, ut loco alienissimo alienos versus ponerent; at alio quodam modo etiam saepius videntur peccasse. Interdum enim versus, quos esse mutandos intellexerunt, mutarunt quidem, sed ita ut constructio verborum fieret impeditissima, ut sermo non esset planus atque perspicuus, sententia obscurior. Confer, ut afferam exemplum, *ω* 109—113 et *λ* 399—403. Hoc loco agitur de Agamemnone, illo loco in altera necyia plurali numero est opus, quia loquitur de pluribus, de procis, quumque accusativus numeri pluralis *μαχεουμένους* versui repugnaret, non dubitavit ponere nominativum itaque et concinnitatem neglexit et sententiam maximopere obscuravit. Praeterea confer si videtur *ω* 534 *τῶν δ'ἄρα δεισάντων ἐκ χειρῶν ἔπτατο τεύχεα* cum illo loco quem imitatus est *μ* 203 *ἔπτατ' ἐρετμά*. Verum haec hactenus, ad hanc Iliadis redeamus rhapsodiam et hic poëta quomodo in ea re se gesserit contemplemur.

Achivi, quum naves ad agrum Troianum appulissent, navibus subductis castra posuerunt, quae vallo fossaque circumdedisse turribusque videntur munivisse. Habitabant autem in tentoriis vel tabernaculis *ἐν κλισίαις*, id quod plus sexcenties a poetis usque commemoratur. Quae tentoria quomodo fuerint facta atque instituta, ea de re ab antiquioribus poëtis nihil memoriae esse proditum iam supra demonstravimus; hic demum Achillis tentorium aulamque qua circumdabatur aliaque accuratius et cognovisse videtur et descripsisse. Nihil attinet locos Iliadis, quos ne temere agere arguerer, collegi omnes, h. l. enumerare, satis erit affirmasse ubicunque de domiciliis Achivorum, qui ad Troiam profecti sunt, loquantur poetae, semper eos uti vocabulo *κλισίη*, Achivos facere habitantes in tentoriis tabernaculis, non in domibus aedibusve, id quod vel in iis Iliadis partibus, quae non sine iustis magnisque causis recentiore aetate factae esse putantur, servatum est diligentissime (cf. *K* 74. 140. 148. 151. 566). Quid quod in Odyssea ubi de rebus ab Achivis ad Troiam gestis agitur idem vocabulum usurpatur (*δ* 255, *ϑ* 501). Qui consensus quum sit tantus, si unus alterve locus repugnat, quid de eo sit statuendum haud difficile erit ad diiudicandum. Laudavi supra eum qui ludos funebres cecinit, quod in v. 58 *οἶκόνδε* (*A* 606) scite mutavit. Sed duobus eiusdem rhapsodiae locis offendor gravissime, e quibus unus est v. 558: *'Αντίλοχ' εἰ μὲν δή με κελεύεις οἴκοθεν ἄλλο* ‖ *Εὐμήλῳ ἐπιδοῦναι*, quod donum affertur recte *κλισίηθεν* (564); alter, nam 592 *οἴκοθεν ἄλλο—ἐπαιτήσειας* forsitan quandam habeat excusationem, alter igitur est v. 856 *οἶκόνδε φερέσθω*. (Schol. *ἐν ἄλλῳ κλισίηνδε*, id vitium bene intellexit et correxit, multo melius in v. 275. *κλισίηνδε φεροίμην*.)

Jam videamus quomodo in ea re hic poeta versatus sit. Breviter enarrabo tibique ante

---

*) l. l. p. 5.

oculos quasi constituam huius rh. locos, in quibus tentorium Achillis et Achivorum castra commemorantur; 1 *θοὰς ἐπὶ νῆας*, 17 *ἐνὶ κλισίῃ*, 122 *ἐς κλισίην*, 155. 184 *ἔσω κλισίην*, 336 *κοίλας ἐπὶ νῆας*, 408 *πὰρ νήεσσιν*, 412 *'Αχιλλῆος παρὰ νηί*, 413 *ἐν κλισίῃσι*, 431 *ἐς κλισίην*, 443 *πύργον τε νεῶν καὶ τάφρον*, 446 *κλισίην — ὑψηλήν*. Jam sequitur 471 *γέρων δ' ἰθὺς κίεν οἴκου* et 512 *τῶν δὲ στοναχὴ κατὰ δώματ' ὀρώρει*. Cuius quidem domus mox oblitus est. 519 *ἐπὶ νῆας 'Αχαιῶν*, 554 *ἐνὶ κλισίῃσιν*, 564 *θοὰς ἐπὶ νῆας*, 569 *ἐνὶ κλισίῃσιν*. Jam iterum reminiscitur aedium 572 *Πηλείδης δ' οἴκοιο λέων ὣς ἆλτο θύραζε* idemque modo domo relicta 596 *ἐς κλισίην πάλιν ᾔιε*. Jam animum adverte ex tentorio vel domo repente fieri regiam magnificentissimam. Ministri enim et servae Achillis iubentur 644 *δέμνι' ὑπ' αἰθούσῃ θέμεναι*, quo facto 647 *αἱ δ' ἴσαν ἐκ μεγάροιο* atque illis rebus perfectis Priamus et praeco 673 *ἐν προδόμῳ δόμου αὐτόθι κοιμήσαντο*. Quem versum fere continuo excipit 675: *αὐτὰρ 'Αχιλλεὺς εὗδε μυχῷ κλισίης εὐπήκτου*. Nonne imprudentissime et levissime hic poëta videtur egisse? quo modo hanc inconsiderantiam atque temeritatem excusabis? Atque bene accidit quod illi loci, in quibus tam longe ab homerica consuetudine recedit non tam facile aut eiici aut mutari poterant. Neque haec vel inconstantia vel inconsiderantia vel negligentia fugit Alexandrinos, id quod ex schol. perspicimus ad v. 512 *δώματ'*: *ἡ διπλῆ ὅτι καταχρηστικῶς τὰς σκηνὰς οὕτως εἶπεν*. A. Atque similem explicandi rationem iniit J. U. Faesi 512: *δώματα* uneigentlich wie 572 *οἴκοιο* von der *κλισίῃ*. Quomodo autem fieri potuit, ut qui quasdam partes venustissime fingeret, idem poëta in hac re, quam neque cum Alexandrinis neque cum Faesio excusare poteris, tam imprudenter tamque inepte ageret? Factum est mihi crede ea de causa, quod hic poëta, quippe qui bene sentiret se antiquioribus illis poetis, quorum carmina satis bene puto memoria tenebat, ingenio non esse parem, simulatque easdem similesve res ab illis iam narratas esse animadvertit, illos versus, quos praestantissimos esse arbitraretur, quin suos faceret sibi non poterat temperare. Qua in re verecundia quadam fortasse prohibitus est illos versus mutare. Ita factum est, ut tentorium Achillis modo, ita uti erat, tentorium, modo domum modo regiam esse statueret, nulla alia videlicet motus causa, nisi quod secum commemorabat in Od. esse quosdam versus, quibus se bene uti posse putaret. Qua in re secum non perpendit in Odyssea illos hospites versari in regiis et Alcinoi et Menelai, quae summa magnificentia maximoque apparatu a poetis exornatae fuerunt, id autem in nostra rhapsodia esse secus. Quod eo magis est mirum, quod bene uti poterat rhapsodiae I, unde duos versus depromsit, versibus quibusdam, in quo carmine Patroclus Phoenici lectum parare ministros servasque iubet. Quae res ut extra omnem dubitationem ponatur confer, si tibi videtur, 343 et *I* 658, *δ* 296; 644—647 = *δ* 297—300, *η* 336—339; 673 = *δ* 302; 675. 6 = *I* 663. 4., praeterquam quod ibi, non ut h. l. Briseis, quae tum Agamemnonis erat, sed Lesbia quaedam mulier cum Achille concumbit. Longior fui patientiaque eorum, qui haec ut legerent in animum induxerunt, sum abusus, sed eam rem, in qua summum momentum inesse putarem, non tribus verbis transigendam esse putavi. Recipio atque polliceor in iis quae restant, eo breviorem me esse futurum.

H. Liesegang.